

ABSOLVTISSIMA DISPVTATIO DE PRAEDESTINATIONE, ET REPROBATIONE

D. MARCI ANTONII MAZZARONI
A MONTE RVBIANO

Celeberrimi Collegij Perusini Sacræ Theologiæ Doctoris.





PERVSIAE, Apud Petrumiacobum Petrutium. M D LXXIX.
CVM LICENTIA SVPERIORVM.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO D. FELICI PERETTO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO DE MONTE ALTO.



MARCVS ANTONIVS MAZZARONVS.



T si *Mortalibus uniuersis à Natura insitum est, ut scire omnes maximè cupiant: cuius rationem arbitror, ipsorum cum anima à Deo, qui vera Sapientia fons est, originem ducant. Illis tamen præ cæteris tributum est, qui sordibus inuolutum non habent ingenium; at hominis quæ magis sunt, præstare nituntur. Quod, simul ac primum sapere cepi, in me ipse agnoui, quem nulla calamitas, non rerum inopia, nec inuidorum numerus ab optimarum artium intuitu valuerunt eripere. Medicam ad artem, Iurisue prudentiam, inspecta egestate, ut ad lucri*

maioris facultates non defuerunt hortantes; & eò me fortè traxissent, in corde si radicata Religio non obstitisset acerrimè. Probè satis non fecissem; si Redemptoris ministerio addictus vana sectatus, cœlestem hunc veritatis radium subterfugissem; vnde peragenda non solũ, at alijs ostendenda vberrimè quoque colliguntur. Hæc non, vt alia, deterruit ab initio, allexit quinimo, Gemmas, quibus fulget, ostendens. Hæc enim amplissimis eminens Prædijs, conscientiæ thesauros secretis penetralibus mentis nobis parit, fructus æternæ dilectionis acquirit. Hæc est sol, per quem cordis oculus in tenebris clarescit. Hæc terrenum in cœlestem, hominem tandem in Deum mirificè conuertit. Quid ergo iucundius ei contingere potest? quàm ab hac Sapientia, vbi Christus promicat, doceri, ad imaginem se Dei conditum, è Cœlis elapsum, ac eò reuersurum, vbi perenni vita, hæres Beatitudinis, omni cũ gaudio, & securitate fruetur. Hoc in ameno, florentique agro vires meas dum exercebam, inter manum, & pomum qui parietem struere vellent, adhuc extiterant; ad idq; frequenter me duxerũt, vt à veritate in aspera, & erronea vix non irruerim. Quot me me Sophistarum argutijs circũuenerunt? ac omnes

nes

nes (quod miratus sum) eodem spiritu ducti hac, mecum solum difficillima de re loqui volebant; forte iuuenis intellectum ambagibus vt dolose captarent. Angebat pracipuè, responsionibus inspicere meis, vt par erat, eos minimè sedari. His excitatus, vt ab iniuria simul, & molestia dicendi semper ad idem, eximerer; omniumque sub oculis ponerẽ in somnia, veraue potius referrẽ; nec non vt pro viribus rem ipsam illustrarem; huic me labori accinxi, saniori Doctissimorum virorũ praadmoto consilio, prasertim M. Nicolai Alessij Perusini; nec ab incepto retraxit. At quibus sub auspicijs; vnum optatis meis obesse hoc poterat; vbi Aurea hac atas, teque vno, Illustrissime, ac Reuerendiss. Princeps, felix FELICE *Regio nostra opportunè subuenerunt. Horrido Marti: Periculoso negocio Dux fortissimus, & Cognitor prudentissimus praesse debet. Quis autem strenuior te, consilijue maior hodie viuit? quẽ Orbis literarum Dominum celebrat, ac permagnus quilibet rem suam Diuino iudicio tuo lubentissimè crederet. Detractores ne carperent amplius, Vir eos amplitudine sua qui silere iuberet, inueniendus erat. Ecquis te amplitudine prastat, quem Purpureus cœtus magni facit, & veneratur*

tur

tur? Maximum fuisset argumentum insaniæ, ab alio si studuissem exorare, ad proprios quod penè lares tam benignè Cœlum obtulit. Hæc, Eminentissime Domine, impulerunt me; iugiter postmodum traxerunt ingens humanitas, quam omnes de te concinunt, & Obseruantia, quæ tibi cor meum à pueritia dicauit; claraquè iam esset, si nebula, quâ nostri obsidentur, denudati forent animi: vt Libellum hunc alarum tuarũ sub vmbra conspiciendum dimisserim. Suadere mihi non possum, vt alienigenas quæ quotidie suscipit, fouetque; illamet benignitas eodem me ferè sub Cœlo natum leni nutu inspectura non sit. Rogo igitur, Humanissime Pater, has meas lucubrationes, in vestigium initæ seruitutis, primò suscipere velis; susceptas deinde, vti tuas protegere, atque tueri digneris. Pro quo ipse, vt vota tua secundet, obnixè Deum rogabo.

INDEX QVAESTIONVM, ET Articulorum, de quibus hic.

QVAESTIO PRIMA.

QVAESTIO SECVNDA.

Art.

FINIS.



QVAESTIO I.
ART. PRIMVS
Quid sit prædestinatio.



NON vnica, uerum plures, variæq; traduntur à bonis auctoribus Prædestinationis definitiones: quarum ad enumerationem, ac explanationem priusquã deueniam; recẽsere conabor penes quos usurpatum sit hoc nomen, Prædestinatio, & quam recipiat interpretationem.

Inuisum plerisq; est nomen hoc, Prædestinatio, vnde præuertentes eius loco dicunt, Declarationem, & Prædeffinitionẽ. At legant quæso Paul. Rom. 1. Qui prædestinatus est filius Dei. Rom. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Prima Corint. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam inquam non huius seculi, sed sapientiam Dei in misterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram. Ephes. 1. Benedictus

A Deus,

Deus, qui benedixit nos, elegit, & prædestinauit in adoptionem filiorum. Legant patres omnes, Aug. præcipuè, cuius innumera possent afferri testimonia. Insuper Scolasticos cum Mag. p. s. dist. 40. Concil. Trident. sess. 6. Immeritò propterea agunt huius dictionis usum præuertentes; cum à doctoribus, Concilijs, atq; scriptura sit vsurpata.

Quid autem nomen hoc, Praedestinatio, denotet, absolutè respondendo dicere possumus significare idem, quod antea destinatio; intimius tamen aspiciendo, clarius à partium significatione assumendum est: videlicet ex verbo, Destinare, & ex praepositione, prae, Destinare igitur penes latinos multas recipit expositiones. Primò namque mittere significat, vt Iuuenalis Sat. 4. Destinat hoc monstrum Cimbæ, liniquè Magister Pontifici summo, & c. Nonnumquam deliberare denotat, ac animo constituere, ordinareue, sicuti apud Suetoninm de Cæsare legitur; quòd de amplificando Imperio plura, maioraquè in dies destinabat. Hunc in eundem sensum legitur de Elezero Machab. 2 cap. 6. qui destinauit in corde suo non admittere illicita propter vitæ amorem. Extat quoque illud Paul. ad Corint. 9. Vnusquisque, prout in corde suo destinauit; nō ex necessitate, aut tristitia, & c. Sapientiæ 6. Tamquàm sagitta emissa ad locum destinatum. Tertiò de-

deputare, seu adiudicare significat. Enead. 2. Et me destinat aræ.

Omnes hæ significationes negotio huic aptari queunt; Deus enim dicitur quoque hominem aliquò destinare; idest in beatitudinem mittere. Similiter de homine destinare; hoc est de eo beatificando decernere. Quomodo sumpsit Aug. Ench. 99. cum dixit, Deus aliquos benignè prædestinauit ad gratiam. Vltimò destinare hominem alicui rei dicitur, scilicet Beatitudini capessendæ. Et ad hoc propositum legitur illud Sapientiæ 6. Tamquam sagitta emissa ad locum destinatum. Vbi considerandum est per diuinam prouidentiam singulas res in fines suos aptari, in quo præcipuè prouidentiæ ratio seruatur: qua etiam sub ratione res singulae à Deo suos in fines destinari dicuntur. Qua de re, Destinatio, genericũ nomen est competens inanimatis rebus, irrationabilibus animatis, sicuti & animantibus rationabilibus. Huius est deinde quædam determinata species rationalem creaturam solummodò respiciens, quæ Prædestinatio, nuncupatur. Est ergo, Destinare, ad propositum nostrum; rationalem, siue intellectualem creaturam in finem supernaturalem dirigere. Est præcipuè D. Thom. p. p. q. 32. & q. 6. de veritate. Aliam si cupis differentiã, Origenem petas in Epist. ad Rom. p. vbi dicit, De-

ſtinare eſt reſpectu rei, quæ adhuc eſt; Prædeſtinare verò reſpectu rei, quæ nondum eſt.

Vlterius; illa dictio, præ, de ſui natura ordinē prioritatis ſignificat: prius autē aliud altero multipliciter dicitur; hoc tamen in loco temporis ordinē, uel dignitatis ſignificat: ſunt enim qui vno, & qui altero modo accipiant. D. Thom. & Scolaſtici ferè omnes Auguſtinum in hac parte ſectantes ad priorem ſenſum declinant. Vnde Deus, ſecundum illos, aliquem dicitur prædeſtinare, cum ante omne tempus conſtituerit quid in tempore illi collaturus eſſet; gratiam ſcilicet in præſenti, & gloriam in futuro.

Alij dicunt per illam dictionē dignitatis prioritatem deſignari: qui etiam bipartiti ſunt. Quidam enim hanc differentiam diſcernunt inter ſpeciem humanam, & alias ſpecies; ita, vt velint prouidentiam, qua cætera in ſuos fines aptantur, Deſtinationem ſimpliciter dici, vt iam dictum eſt: hominis verò prouidentiam, cum ſpecialis, & dignior ſit, vtpote finem ſupernaturalem inſpiciēs; deſcribi per hanc particulam, præ; vt homo dicatur prædeſtinari, id eſt præcæteris creaturis ad beatitudinem deſtinari. Alij dicunt hanc differentiam inter hominem, & hominem attendi. Omnes inquiunt homines ad beatitudinem creati ſunt; aliqui tamen efficacius alijs: quare dicuntur

tur ad vitam prædeſtinati, ideſt præ alis hominibus deſtinati.

Hæc expoſitio probabilis non eſt, cum ſacris literis minimè conſonet; veluti exponendo loca ſuperius adducta facilè apparet. Quare contra eam breuiter ſic opponitur. Si illa particula, præ, inter ſaluandos dignitatem deſignat; qua ratione dictum eſt à Paulo, quos præſciuit, & prædeſtinauit; ita quoque dicendum illi fuiſſet, hos & præuocauit, præmagnificauit, & præiuſtificauit. Vti enim electi præ aliis deſtinantur, ita præ aliis vocantur illuſtrius, & iuſtificantur: quod nihilominus quantum conſonet ſcripturis quilibet videre poteſt.

Priorem igitur expoſitionem cum communi amplector, vtpote ſacris literis magis congruentem. Vbicunque enim de prædeſtinatione loquuntur, ſingularem hanc Dei gratiam erga ſuos electos ex hoc præcipuè comendant, quòd illos ab æterno deſtinauerit hæredes vitæ æternæ. Epheſ. p. Benedictus Deus, qui nos elegit in ipſo; in Chriſto ſcilicet, ante mundi conſtitutionem. Matth. 24. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Et ad Corint. loco iam citato, ſapientiam loquimur, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram. Sed maximè aduertendum

dum est, quòd vbi dicitur prædestinationem æternam esse, vel Deum ab æterno prædestinasse; nō est sensus, quòd Deus ab æterno solum prædestinauerit, et modo non; & tamen quòd maneat in eodem proposito. Hic enim sensus falsus est. Patet primò; quandocunque enim signum indiuisibile est in aliquo peryodo, oportet quòd omnis duratio sequens sit finita ex parte ante, & per consequens non æterna. Si ergo esset aliquod instans, in quo Deus prædestinasset tunc, & postea non: prædestinatio non esset æterna. Insuper, quando aliqua sunt incompossibilia in ordine durationis, si vnum est æternum, aliud non est æternum; sed prædestinare, & permanere in eodem proposito prædestinandi sunt incompossibilia; ergo si prædestinare est æternum, permansio in proposito prædestinandi non est æterna. Sensus ergo est, quòd Deus ab æterno prædestinauit, ita vt nunc & iam prædestinet, & in futurum prædestinabit; ita tamen vt semper sit eadē numero prædestinatio; sicut creatio dicitur permanere eadem numero, & non fluens, qua Deus creare dicitur quamlibet creaturam.

Contra hanc tamen communem illius dictionis, præ, acceptionem argumentatur Ambros. Cathar: ita dicens. si particula, præ, significat ordinem æternitatis ad ea, quæ fiunt in tempore; vt

inde

inde quis dicatur prædestinatus, cum sit ante secula destinatus; eadem particula iungenda esset omnibus verbis significantibus diuinas actiones circa electos. Quare dicendũ esset eos esse præuocatos, præiustificatos: immo voluntas Dei dicenda esset præuoluntas; & creatio præcreatio, & cætera id genus. Probat ipse consequentiã, quia quicquid fit à Deo in tempore circa electos, iam olim ab æterno constitutum fuit. Quòd autem verba illa, vocare, & iustificare, aliquid æternum significent, & non temporaneum; probat Augustinus de correp. & grat. cap. 9, nam alioquin inueniretur falsa Pauli sentẽtia dicentis, quos præsciuit, & prædestinauit; quos autem vocauit, hos iustificauit; cum multi sint prædestinati, qui nondum sunt nati; nedum vocati, aut iustificati. Quare aut verbo futuri temporis debuisset vti Paulus, si verba hæc temporaneum quid significant: aut erat illis adiungenda particula, præ, si æternitatis differentiam.

Respondetur nihilominus aliud esse loqui de rebus absolutè, & aliud de rebus, vt per tales voces exprimuntur: quare aliud est dictũ Vocatio, & Iustificatio, qua modo Petrus ex infideli fit fidelis, habuerunt in Deo æternas rationes: & aliud, verbum, vocari, aut iustificari, significant æternam aliquam Dei rationem. Nulli dubium est,

quin

quin Deus ab æterno constituerit illum vocare, quem modò vocat; & iustificare quem iustificat; Sed non ideo sequitur ex his verbis significari aliquod æternum; sicut per hoc verbum, destinari. Nam, cum verba sint in duplici differentia: quædam, quæ significant actionem immanentem intra ipsum agens, vt videre, intelligere, &c. quædam verò, quæ significant actionem transeuntē in exteriorem materiā, vt creare, calefacere, & similia. Quæ prioris sunt generis actionem Dei, quæ æterna est, significare censentur; & ideo illis particulam, præ, assignare decet: non autem cæteris; cum creaturæ, in quibus tales actiones recipiuntur, non sint, neque fuerint ab æterno. Cum ergo obijcitur dicendum Paulo, hos præuocauit, & præiustificauit; negatur consequentia, quia hæc verba significant eam actionem diuinam, quæ ex tempore in creatura recipitur. Ad probationem ex Augustino desumptā dicitur, quòd Paulus vtitur verbo præsentis temporis, & non futuri ad exprimendam certitudinem vocationis, & iustificationis prædestinatorum; quòd videlicet indubiè vocabuntur, & iustificabuntur; perinde ac si iam vocati, ac iustificati fuissent. Voluit ibi etiā Apos. magis exprimere æternitatis Dei ambitum, qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; vt quisquis ad vitam æternam vocandus perinde sit,

ac

ac si iam apud eum vocatus esset. Ratio autem, quare voluntas Dei non dicatur præuoluntas, ea est; quia nomen voluntatis potentiam significat, non autem actum, siue habitum, qui sit actus primus immediatus. Nam siquidem tale quid significaret; absurdum minimè esset illi quandoquè talem præpositionem addere, vt additur his nominibus, scientia, & videntia: cum dicimus Deum præscire, & præuidere. Itidem præscientiam, præuidentiam, & præfinitionem. Cur autem non dicatur præcreatio, fuit iam reddita ratio; creare enim actionem significat nō immanentē in Deo; sed in creaturam transeuntem.

His visis, ad principale, vt deueniatur, aduertendum est, quòd sicuti tres sunt significationes verbi, Destinare, superius expositæ; ita prædestinationem trifariam definire contingit. Quatenus igitur, Destinare, idem significat, quòd animo deliberare; Prædestinatio sic describitur, Est diuinum propositum, de homine per Christum beatificando; cui diffinitioni consonant omnia, quæ de prædestinatione dicta fuerunt à Paulo ad Rom. 8. Si verò, Destinare, significat deputare; tunc prædestinatio erit æternum Dei iudicium, quo deputatur homini per Christū gratia in præsenti, & gloria in futuro. Conuenit cum hac illa, quæ ab Aug. traditur in lib. de prædest. sanct.

Praedestinatio est præparatio gratiae, & ad illam electio. Iterũ, Praedestinatio est præparatio beneficiorum Dei. Hanc sequutus est deinde Mag. & scolasticorum nonnulli; præsertim Egidius de Roma super Epist. ad Rom. 1. Postremò si, Destinare, mittere significat; tunc locum habet diffinitio D. Thom. dicentis, eam esse rationem, qua Deus transmittit creaturam rationalem in finem, qui est vita æterna. Eandem ponit idem Egid. loco cit. Praeterea D. Thom. 3. 1. q. 24. artic. 1. sic definit, Est quaedã præordinatio Dei ab æterno de his, quae per gratiam fienda sunt in tẽpore; cui consonant pleraq; à D. Paulo de hac re dicta. Tripliciter vlterius contingit definire praedestinationem, prout ipsa tria respicit attributa diuina. Nam si respicit bonitatem; sic eam describit Aug. in de praedest. sanc. Est propositũ miserendi. Si aspicit scientiam disponentem; sic declaratur ab eodem in de bono per seu. Est praescientia beneficiorum Dei. Tandem, vt aspicit potentiam exequentem; sic ipsam diffinit in lib. de fide ad Petrum. Est gratuitæ donationis praeparatio. Omnes hæ tamen diffinitiones quid nominis tantum praedestinationis ostendunt; & à posteriori, ab effectibusq; desumptae, ac traditæ sunt. Vt quid ergo rei cognoscamus, ac essentialem definitionem habeamus; nonnulla sunt praenotanda, ex

ex quorũ cognitione talis est colligenda diffinitio. Primò igitur videndum est quid sit scientia, praescientia, & prouidentia Dei. Pro quo sciendum est quòd haec dictio, scientia, analogicè prædicatur de nostra, ac Dei scientia. Non vniuocè; cum rationes, secundũ quas habitus noster scientia dicitur, diuinae non conueniant. Nec scientiae nostrae diffinitiones Diuinae conueniunt. Aequiuocè nec itidem praedicatur; vtraque enim cognitio tum Dei, tum nostra ab ipsa certitudine, scientia nuncupatur. Et quoniam huiusmodi certitudo in Deo, ac eius scientia per prius est, quàm in nostra; ideo scientia analogicè praedicatur de illa Dei, ac nostra; immo nostra dependet ab illa; quæ altera conditio est ipsius analogi. Aduertendum tamen est in ordine ad perfectionem, quam dicit, per prius de scientia Dei praedicari, quàm de nostra. Omnis enim perfectio immensè prius in Deo est, quàm in creatura. In ordine autem ad nostrum intelligendi modum, ac termini significationem à creaturae cognitione desumptam per prius de nostra scientia dicitur; quoniam certam esse cognitionem prius de creatura nouit homo, quàm de scientia Dei. Magna est praeterea differentia inter nostram, ac Dei scientiã; nostra enim à rebus dependet: quare scibili corrupto scientià quoque corrumpitur iuxta illud scibile, per Phi-

los. in praedicamentis cap. de Relat. At ſcientia Dei nullatenus à rebus dependet; quinimo ratio eſt, qua volũtate adiecta res cunctas ad extra producat. Nec obſtat Origenis dictũ ſuper Epiſt. ad Rom. 8. Scilicet, quia futurũ aliquod eſt, ideo Deus ſcit illud. Orig. namque neceſſariae conſecutionis ibi ordinem indicat. Hæc eſt neceſſaria conſequutio: hoc futurũ eſt, ergo Deus cognoſcit illud eſſe futurũ. Diſtat vlterius noſtra à Dei ſciẽtia, quoniam noſtra habitus eſt per demonſtrationem acquiſitus, vt eſt Philos. & eſt accidens, cum in prædicamento qualitatis reponatur, Dei verò ſcientia talis habitus non eſt, quoniam maximam in Deo poneret imperfectionem, cum diſcurſus ſit à noto ad ignotum; Deo autem nihil eſt ignotum. Poneret inſuper compoſitionem ex actu, & potentia; nam diſcurrens quodammodo eſt in actu reſpectu cogniti, eſt tamen in potentia reſpectu ignoti, quod deinde cognoſcit. Poneret etiã compoſitionem ex cauſa, & cauſato; quoniam in diſcurſu res prius cognita eſt aliquo modo cauſa cognitionis, quæ acquiritur poſtea: quæ omnia de Deo aſſerere abſurdiſſimum eſt. Nec praeterea ſcientia Dei, vti noſtra, accidens dici debet, cum idem prorſus cum ipſo Deo ſit; cuncta enim in Deo idemptificantur ipſi Deo. Vlterius, Dei ſcientia non ſuſcipit magis, neque minus; cum

nec

nec perfectiori modo ſcire cõtingat ea, quae ſcit; nec etiam in ſenſu compoſito verum eſt aſſerere quòd Deus poſſit ſcire plura, quàm ſcit; vt optimè theologi decernunt, præcipuè Petrus Tartaretus 8. phyſ. t. c. 16. dub. 3. noſtra verò ſcientia ſuſcipit magis, & minus; nedum extenſiuè, verum etiam intenſiuè. Inſuper Dei ſcientia non debet dici ſcientia quia eſt, nec ſcientia quid eſt, ſiue propter quid eſt; quomodo reſpectu noſtrae loquitur Ariſt. 6. metaph. & 1. poſt. Nam huiuſmodi ſcientiae ſupponunt eſſe acquiſitum, vel ex cauſis, vel ex effectibus; quorum ſcientiae Dei nihil conuenit, cũ nihil praeſupponat à quo fiat, vel mediante quo fiat; tum, quia non eſt diſcurſu comparata, vt dixi; tum etiã quia ſcientia Dei, eſt ipſemet Deus; cum ipſe compoſitionem non admittat: Deus autem à nullo dependet, nec mediante alio eſt; quare nec eius ſcientia. Tandem ſcientia Dei certa, & infallibilis eſt, cũ omnis perfectio eminentiſſimè ſit in ipſo; & cum à ſe falli non poſſit, neque ab alio extra ſe; cum omnia ipſe in agendo dirigat. Eſt ipſa praeterea cauſa rerum, etiam per Auer. 12. metaph. com. 51. cum ergo à rebus non dependeat; & effectus primam cauſam immutare non valeat, remanet quòd immutabilis, ac infallibilis ſit. E conuersò ſcientia noſtra fallibilis, & incerta eſt; cum à rebus, & ſenſi-

bus dependeat per Philoſ. multis in locis, à quibus multoties decipimur. Eſt ergo ſcientia Dei certa, clara, atque euidens cognitio intellectiua; qua ab æterno ſicut nunc, & nunc ſicut ab æterno cognoſcit, & cognouit omnia præſentia, præterita, & futura; vt omnes theologi vno ore affirmãt. Quare propoſitiones iſtæ, Deus ſcit præterita, vel futura; ſunt falſæ de virtute ſermonis, quia reſpectu ſcientiæ Dei non eſt præteritum, nec futurum: ſunt tamen veræ, quatenus poſtea illud præteritum, vel futurũ inſpicitur in ordine ad creaturam; quæ vel facta fuit, vel fiet in tempore. Multa mihi dicenda forent de inſtanti, quod eſt apud Deum, & de eo, quod eſt propè nos; cum tamen paucis multa complecti nõ poſſint, omitto. Huic poſtea diuinæ ſcientiæ addunt aliquando theologi præpoſitionem, præ; vt inde præſcientia dicatur: quæ ſecundũ D. Anſel. in lib. de concor. præſcient. & lib. arb. & Ricc. de Mediauil. 1. ſent. diſt. 38. quæſt. 2. nihil aliud dicit vltra ſcientiam Dei, quàm anteceſſionem ſcientiæ reſpectu rei ſcitæ. Vnde ſecundum hos idem eſt præſcientia, quod ſcientia futurorũ; quare dicit Anſel. loco cit. Non eſt aliud præſcire, quàm ſcire futurum. Marſilius lib. 1. quæſt. 40. art. 1. dicit quòd præſcire, iuxta nominis interpretationem, eſt ſcire rem antequàm fiat, & eam eſſe futuram ſuo tempore.

pore. In duas postea secatur partes praescientia Dei; nam si bona respicit, approbatio dicitur: si verò mala, reprobatio nuncupatur. Facit ad hoc quod legitur Matth. 25. Nescio vos; id est facta vestra non approbo. Est in Deo, præter hæc, prouidentia, quæ est præcognitio rerum ordinabiliũ in finem, tam naturalem, quàm supernaturalem; estquè de rebus faciendis, & gubernandis: ordinem conseruans, remouensq; omnem deordinationem. Hæc includit scientiam, & præscientiã; addens illis tantummodò ordinem quendam, & præparationem ad finem. Eam nonnulli antiquorum philosophorum, præsertim Epicurei, destruere voluerunt; vt nostri referunt 1. sent. dist. 39. Asserebant enim à casu omnia fieri; ac omnes vtilitates, quæ in rebus apparent, secundũ quòd vna iuuat aliam; vel soli necessitati materiæ, vel materiæ, & agentis simul tribuebant. Hos tamen egregiè confutat Arist. Phys. 2. t. 48. Lucretius in 1. lib. de natura. Plutarchus in lib. de vita iucunda. Et clarius Plato 10. lib. de legibus. Boetius lib. 5. de consolat. Extant pro hoc præterea Psal. 103. & 139. & illud Iob. Super cardines cœli ambulat. Nonnulli etiam dixerunt idem esse prouidentiam, quod fatum. Et hi quoque errarunt; nam si fatum concedendum est, secundum Theologos est connexio secundarum causarum ad ali-

quem

quem producendum effectum simul concurrentiũ: cui tamen connexioni cuncta non sunt subiecta; vt creatio, & glorificatio hominum, atque angelorum; quæ immediatè sunt à Deo, nulloq; pacto dependent à causis secundis: at prouidentiæ Dei sunt omnia subiecta, vt omnes fatentur, etiam qui de fide malè senserũt; & qui lumine supernaturali caruerũt, vt videre est Arist. pluribus in locis; præcipuè 12. metaph. prope finẽ; quamuis contra veritatẽ singularia videatur excludere.

Est secundò considerandũ, Prædestinationem, Destinationem, ac ordinationem idem esse realiter: itidem Prædestinare, destinare, & ordinare. Prædestinationem vlterius partem esse prouidentiæ scientiam, præscientiam, ac prouidentiam includentem; & modum quendam specialem prouidentiæ superaddentem: quoniam prouidentia respicit omnes creaturas, prædestinatio verò intellectualem tantummodo.

His prænotatis, ponitur essentialis prædestinationis diffinitio. Est præconceptio, & præordinatio intellectus diuini de conferendo quibusdam id, vel media, quibus, vel per quod infallibiliter assequantur vitam æternam. Hanc ponit ad verbũm Herue. 1. sent. dist. 40. quæst. 1. art. 1. & ante ipsum visus est quodãmodo ponere D. Thom. 1. p. q. 23. art. 2.

Nec

Nec paruam tangit difficultatem allata diffinitio; fuit enim ibi dictum Praedestinationem esse præconceptionē intellectus Diuini, ac ordinationem; ideo videndū est an sit actus intellectus, vel potius volūtatis, an vtriusq;. Scotus 1. sent. dist. 40. quæst. vnica, asserit potissimè esse actum voluntatis, secūdariò verò intellectus. Quare, dicit ipse, praedestinatio est æterna electio saluandorū; licet in intellectu supponatur cognitio, & ordinatio istorū in vltimū finem supernaturalem, & beatificum. Sanct. Thom. de verit. quæst. 6. art. 1. & 1. sent. dist. 40. quæst. 1. artic. 2. Duran. ead. dist. quæst. 1. & dist. 41. quæst. 1. asserunt praedestinationem potissimum esse actum intellectus, minus autem principaliter voluntatis. Non defuerunt qui actum mixtum esse voluerunt; ita, vt ex æquo intellectus, & voluntatis actum respiciat; Conuenit inter omnes prædestinationē ad vtrūque pertinere, vt patet. Probatur etiam; praedestinatio est pars prouidentiæ, quæ pertinet ad intellectum, & voluntatem; ergo & prædestinatio. Secundò, praedestinatio pertinet ad intelectum practicum, qui supponit voluntatem; ergo pertinet ad vtrumque. Tertiò, homines liberè praedestinantur à Deo; ergo prædestinatio non est absque voluntate. Tandem per prædestinationē hæc est vera, Petrus saluabitur: sed cum sit de fu-

turo contingenti, non potest esse vera sine deter minatione voluntatis diuinæ; praedestinatio ergo non est sine voluntate. Si scripturam inspiciamus, aliquando de praedestinatione per actũ voluntatis ipsa loquitur, vt Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ; idest his, qui secundum propositum voca ti sunt sancti. Et 9. Cum nondum nati fuissent; vel quid boni, aut mali fecissent; vt secundum ele ctionem propositum Dei maneret. Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi, constitutionem, vt essemus sancti. Aliquando etiam per actum intellectus, Rom. 11. Non repulit Deus plebem suam, quam praesciuit: idest prædestinauit. 2. Tim. 1. Cognouit Deus qui sunt eius: idest quos praedestinauit. Et hinc ortum habuit quòd Patres aliquando per actum voluntatis praedestinationem describunt; aliquando verò per actũ intellectus. Quare Aug. de praedest. Sanct. 10. & de bono perseuer. 14. vtrumque docet; dicit enim prædestinationem esse præscientiam, & præparationem gratiæ, & gloriæ: idest firmam voluntatem conferendi gratiam in hoc seculo, & gloriam in futuro.

Eorũ opinio, qui dicũt praedestionem vtrumque ex æquo respicere; probabilis non est.

Vt ergo veritas magis eluceat; sciendum est, quòd

quòd sicut in nobis iudicium præcedit electioné, & post electionem sequitur imperium, siue decretum; vt docet D. Thom. 1. 2. ita, vt more nostro loquamur; Deus prius excogitauit, qui nam ex hominibus, quos in sua præscientia habebat praesentes: essent saluandi. Postea liberè elegit hos, & non alios diuina voluntas. Tertiò post electionem statuit in mente sua æterna, hi sunt saluandi, aliis refutatis; quod decretum est velut imperiū, seu lex diuini intellectus. Dicamus ergo cum D. Thom. Ricc. & Duran. locis citat. praedestinationem essentialiter esse actum intellectus; requirere tamen actum voluntatis. Probatur, quia est pars prouidentiæ. Secundò, quia est in intellectu practico. Tertiò sic, Prædestinatio est efficax ordinatio nonnullorū in vltimum finem; sed ordinatio est ipsius intellectus essentialiter; ergo praedestinatio pertinet ad intellectum essentialiter. Legitur pro hac parte actorum 13. Paulo prædicante; Et crediderunt quotquot præordinati erant à Deo in vitam æternam. Quòd autem voluntatis actum requirat, iisdem rationibus probari potest. Supponit ergo praedestinatio actum voluntatis; electionem scilicet, ac dilectionem eorū, quos decreuit saluare; vt optimè D. Thom. vbi sup. art. 4. Inter quem, & Scotum hæc versatur differentia, quòd Scotus vult prædestinationem

electionem eorum esse, quos diuinus intellectus ordinat in æternam beatitudinem. Sanct. Thom. verò asserit praedestinationem esse non electionem, sed ordinem; non illum excogitatum priorem electione, sed ordinem statutum per diuinā electionem: quæ sententiæ aduersantur adinuicem potius circa vocabula, quàm circa res; cum hæc omnia requirantur ad praedestinationē, quare vtramque probabilem duco.

ART. SECVNDVS.

De causa agente prædestinationis.



VONIAM de re aliqua non potest haberi simpliciter perfecta scientia; nisi causarum omnium vsque ad vltimas, atque supremas habeatur cognitio, Auer. 1. Phys. com. 1. & 2. com. 27. motus ex dictis Arist. 1. Phys. t. 1. Non ergo sufficiunt quæ de praedestinatione superius dicta sunt; sed plura, & sanè difficiliora circa eius causas inuestiganda sunt, vt inde clarior fiat nobis ipsius cognitio. Cum autem principalis, potissimaque causa hoc in negotio sit Deus Benedictus; ipse namque origo est, medium, & finis totius salutis nostræ: de ipso multa prius dicam,

&

& post modum ad cætera descendam.

Communis est conclusio, solum Deum Benedictũ causam esse agentem praedestinationis nostræ: estque adeò permanens, atque clara nedum penes catholicos, sed propè eos quoque, qui malè de hac re senserunt aliquando; vt probatione nullatenus egeat. Tamen pro euidentiori doctrina auctoritatibus quibusdam, efficacibusque rationibus illam firmare conabor; hoc vno prænotato, dupliciter posse sumi praedestinationem, actiuè scilicet, atq; passiuè. Vel vt dicit Bonauēt. 1.sent.dist.40.quæst.1.duo reperiuntur in prædestinatione, videlicet connotatum, & principale significatũ. Significatum principale, vtque alij dicunt, suppositum, seu materiale significatũ, est diuina essentia, scilicet res, pro qua supponit iste terminus, prædestinatio. Connotatum verò, siue formale significatum, vt Marsi. dicit lib. 1. quæst. 41.art. 1. est creatura, vt gratia, gloria, & persona saluanda. Si sumatur ergo praedestinatio actiuè, siue pro principali significato; tunc prædestinationis causam non est assignare, cum diuinæ essentiæ causa nulla sit. Si tamē passiuè sumatur, idest pro connotato, tunc plures prædestinationis causæ possunt assignari: Agens, vt Deus Benedictus. Materialis, vt intellectualis creatura. Finalis, vt beatitudo, seu gloria. Ac etiam formalis, de qua

multa

multa dicta sunt,vbi de ipsius diffinitione actum est. In conclusionis confirmationem adduci possunt in primis omnes auctoritates D. Pauli superius allatæ,ac multæ etiam præter illas,vbi de prædestinatione loquens Apost. ac de illius effectibus;omnia refert in Deũ, tamquam in auctorem, & propitiatorem. Legatur insuper Iacob. 1. apud quem patet expresse; immo cuncta bona, quibus creatura potitur, Dei munificentiæ adscribit. Inter Patres Bernar. super Cantic. serm. 23. prope finem; vbi vocat prædestinationem generationẽ cœlestem,quæ à Deo est;& qua Deus,vt ipse dicit, electos suos dilexit,& gratificauit in dilecto filio suo. Idem tract. de grat. & lib. arb. sæpe affirmat. Clarius Orig. in Epist. ad Rom. 1. Chrysost. in Act. Apost. 45. dicit quod sola gratia saluat; gratia autem à solo Deo est,per Apost. multis in locis; estque prædestinationis effectus,secundum omnes; & nos infra probabimus; ergo prædestinatio à solo Deo est. Augustini, cum innumera sint, testimonia non referam. Inter Concilia tandem, Araguſican. sub Leone primo cap. 6. 14. & 25. Trident.Sess. 6.cap.3. & 4. Sed ex rationibus illa egregia est, quã ponit Briton ex Illustri prædicatorum familia non obscurus 1. sent. dist. 40. art. 1. Not.4. Ad prouisorem totius Vniuersi pertinet conferre aliquibus media, quibus assequan-

tur

tur optimum finem, qui eſt in Vniuerſo; ſed optimus finis, qui poteſt eſſe in Vniuerſo, eſt vita æterna; ergo ad Deum, qui etiam ſecundum philoſophos, eſt Vniuerſi prouiſor; pertinet conferre media aliquibus ad aſſequēdam vitam æternã: cum Deus autem ſit agens per intellectum, nihil confert, niſi quod prius præconcepit conferre; ſic autem præconcipere eſt prædeſtinare, ergo ad Deum pertinet prædeſtinare. Eadem ratio colligi poteſt ex dictis D. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 1. Omnesq; ferè Scolaſtici in hoc deueniunt. Colligitur ſecũda ratio à Bonauent. cit. loco. quæſt. 1. Quod eſt æternum à Deo eſt; Prædeſtinatio eſt æterna; ergo à Deo. Min. eſt Pauli Epheſ. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionẽ, & alibi. Maior eſt euidens; quoniam effectus æternus eſt à cauſa æterna: præter Deum autem nihil eſt ſimpliciter æternnm; quare nihil poteſt æternaliter dependere ab alio, præterquam à Deo; qui de ſe ſolus æternus eſt, omniſq; æternitatis cauſa. Si dicatur, poteſt prædeſtinari quod non eſt prædeſtinatum, ergo prædeſtinatio eſt noua; & ſic non eſt æterna. Dicendum eſt quòd poteſt prædeſtinari quod nõ eſt prædeſtinatum in ſenſu diuiſo, non tamen in ſenſu compoſito. Sicut de iſta; Album poteſt eſſe nigrum: quæ in ſenſu diuiſo eſt vera, quia ſignificat, id, quod eſt ſubiectum albedinis, poteſt eſſe

nigrum,

nigrum, & verum est. In sensu verò composito est falsa; de hoc autem infra clarius. Tertia ratio sic à nobis formari potest. Illius tantum est prædestinare, cuius est gratiam conferre; Soli tamen Deo conuenit gratiam elargiri, ergo solius Dei est prædestinare. Euidentissima ratio est; nā prædestinare, si effectum inspicias, est gratiam conferre ad vitam æternam. Nec hæreticus præterea assereret aliunde gratiam deuenire, præterquam ab ipso Deo, iuxta illud; gratiam, & gloriam dabit dominus. Alias possem afferre rationes, quas vti superfluas omitto: nam, etiam re vera, cui pauca non sufficiūt, plura non proderunt. Concil. Aragusican. de quo sup. cap. 25. Hoc vnum nō prætermittam, quòd prædestinatio aliquando trāsmissio dicitur à Theologis, hac de causa. Nam sicuti sagitta dicitur transmitti, quia mittitur in signum, siue scopum, quem virtute sua numquam attingere valeret; attingit autem, quia transmittitur à sagittante: ita quoque, cum numquam prædestinatus de se peruenire posset in finē sibi propositum, qui est vita æterna, cum illa vires humanas excedat; at cum ope diuina consequatur, ideo transmitti dicitur, idest præter naturæ suæ limites mitti; & prædestinatio transmissio dicitur; transmittens autem Deus omnipotens. Nam cum finis creaturæ vires excedat, necesse est transmit-

tentem

tentem supra omnem creaturã esse, & omnia sub se continere. An autem solus ipse sit causa præcisa, siue totalis prædestinationis, ita vt totalis praedestinationis effectus per meram volũtatem diuinam non concurrente alia causa ex parte nostra, ponatur in esse? in quarto, & quincto art. videbitur.

ART. TERTIVS.

Qui sit finis Praedestinationis.



AM demonstratũ est quæ sit efficiens causa praedestinationis: modò qui sit eius finis inuestigandum est; agẽs namq; propter finem agit, ex Arist. Phys. 2.t.29. & quamuis hoc sit potius admirandum, quàm inuestigandum, per Aug. in de spiritu, & lit. cum multæ possint esse rationes in mente Diuina, propter quas aliquid faciat; quæ humanum ingenium maximè latent: tamen non desunt aliqua loca scripturae, vnde humana fragilitas aliqua colligere valeat. Idem tamen est quaerere, qui sit finis praedestinationis absolutè; & quaerere qua motus ratione Deus, qui maximè intelligens est, homines praedestinauerit? Hac autẽ de re variè varijs in locis loquutus est Apost.

Ephes. 1. asserit nos Deum praedestinasse in laudem gloriæ suæ. Prima autem ad Corint. 2. ob gloriam nostram affirmat. Ad Rom. denique 8. ideo nos Deũ prædestinasse praedicat, vt imaginis filij sui conformes efficiamur. Inde Doctores etiam dixerunt aliquando praedestinationis finem esse gloriam Dei; nonnunquam verò beatitudinem ipsi homini destinatam.

Pro declaratione igitur huius rei non ignorandum est, praedestinationem referri posse ad praedestinantem, & prædestinatũ; est enim relatio, vt praecipuè determinauit Franc. de Mayronis. 1. sent. dist. 40. q. 1. art. 1. Est inquam relatio formalis, non fundamentalis; est enim in Deo contingenter, cum Deus contingenter praedestinet. Est praeterea relatio rationis, non realis: nam Deus refertur ab creaturam non realiter, sed secundũ rationem; tum etiam, quia omne, quod est in Deo realiter, est necessariò; praedestinatio verò est contingens, ideo relatio realis esse non potest. Vlterius, Praedestinatio, vt prædestinatum respicit, dicitur respectus vt futuri; non vt simul existentis, quoniam est dispositio dandi gratiam in futuro; & ideo non oportet existentẽ praedestinatione, existere prædestinatum; sed sufficit fore. Similiter duplex potest assignari finis prædestinationis; alius enim est finis, ob quem Deus prædestinat; &

alius est finis, idest terminus, in quem ordinatur, seu mittitur praedestinatus. Vt euenit in cursu, quo itur ad brauiũ, vbi duplex finis tradi potest; alius enim est currentiũ, vt acceptio braui: alius vero Principis, qui cursores destinat ad cursum, proponens illis brauium in victoriæ præmium. Habet namque pro fine exaltationem gloriæ suæ vna cum delectatione populi. De fine prædestinati, cum de materia prædestinationis agam, tractabo; de ipso namque intelligitur dictũ Pauli 1. Corint. 2. De fine verò praedestinantis hic solum verba faciam; qui diuiditur in finem propinquum, siue immediatum; & finem remotum, siue mediatum: finis remotus, siue vltimatus dicitur etiam principalis; quia principaliter intenditur ab agente: finis verò propinquus dicitur minus principalis, & mediatus; quia ordinatur ad alium, & eo medio itur in illum. Finis ergo principalis Dei prædestinãtis est magnificatio gloriæ, & exaltatio nominis sui; quomodo exponitur Paulus Ephes. 1. dum loquitur de hac re. Finis autem minus principalis, qui ordinatur ad hunc, iterum subdiuiditur; nam vel est extrinsecus, vel intrinsecus. Extrinsecus est perfectio Vniuersi, intrinsecus verò est manifestatio Sapientiæ, Potentiæ, ac bonitatis suæ. His ita dispositis, ne quid inexplicatũ remaneat; circa hanc vltimam distinctio-

nem sunt aliqua præcipuè aperienda. Sciendum ergò est quòd sicuti in magna domo sunt diuersa loca, & habitationes iuxta diuersitatem habitantium, ac ipsorum qualitates; quorum vnicuique datur locus ad habitandum secundum gradum, & propriam conditionem, vt decet; cum ibi sint homines diuersarum conditionum. Sunt ibi quoque per Apost. 2. Tim. 2. diuersa vasa, quorum aliqua sunt ad honorem, aliqua verò ad contumeliam. Ita quoque factũ est in Vniuerso, vt ad eius pulchritudinem, & decorem sint ibi res distinctæ, nedum penes generis, ac speciei naturam, verum etiam secundum diuersum gradum, cõditionem, & qualitates ipsarum. Nisi enim esset ordo in Vniuerso, cum magna sit ibi copia rerum, maxima quoque esset confusio; multitudo namque sine ordine confusionem parit. Talis autem ordo præcipuè attendendus est ad rationalem creaturam, cuius præcipua cura est ipsi Deo; immo tam peculiarem de ea curam habet, vt cæteras creaturas ferè despicere videatur; iuxta illud Pauli, Numquid Deo cura est de bobus? Ordo tamen, & Vniuersi perfectio ex hominum prædestinatione resultans nõn solum penes vnius salutem, alteriusque perditionem attendendus est, vt multi voluerunt: sed maximè penes conformitatem corporis Ecclesiæ cum Christo capite. Et sic intelli-

gendus

gendus est Paulus Rom. 8. In hoc enim consistit conformitas inter nos, & imaginem filij Dei, inquantum homo; vt ipse sit caput totius Ecclesiæ; & nos membra illius: quod est maximè cordi ipsi Deo. Legatur Dauid Psal. 2. vbi Christus de se loquitur. Ego autem constitutus sum Rex ab eo, scilicet Deo, super Syon montem sanctum eius; idest super omnem Ecclesiam, & rationalem creaturam: prædicans præceptum eius, quod est, vt ipsum tamquam Regem, & Principem adoremus. Paul. Ephes. 1. Et ipsum dedit caput supra omnẽ Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Coloss. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ. Altera autem ratio; ob quam Deus prædestinare dicitur (quod est secundum membrum vltimæ distinctionis) tenet se ex parte diuinæ prouidentiæ, quæ manifestatur primò per se ipsam quotidie gubernando totum Vniuersum, & ea, quæ in eo sunt. Secundò per potentiam, qua cuncta ex nihilo creauit. Tertiò per bonitatem; & hoc bifariam, vel enim per misericordiam aliquos saluando; vel per iustitiam alios puniendo. Ex quibus omnibus postremò resultat gloria, & magnificatio Dei; qui est principalis finis, vt dictum est. Alia verò omnia sunt veluti media ad talem finẽ. Licet enim beatitudo, & beatorũ gloria; in quam, tamquã in scopum, ac terminum praedestinati diriguntur, in

ordine

ordine ad ipsos terminus, & finis dicatur; ad Deũ tamen si referatur, medium dici debet. Nec ob id conturbari debemus, vt iam plerique conturbati sunt; numquam intelligere valentes amorem, quo Deus diligit creaturam; non obstante quòd eam ex nihilo creauerit, quotidie gubernet, ad beatitudinemque destinauerit: cum omne tamen fecerit in gloriæ suæ manifestationem; dici debere amorem amicitiæ, immo clementiæ, & charitatis ardentissimæ: sed potius concupiscentiæ amorem, & auaritiæ nuncupare voluerunt; cum ad commodum suum omnia disposuerit. Nescio prauitatis potius, an ignorantiæ tales damnem? Prauitatis profectò, si pertinaciter asseuerent; ignorantiæ verò, si non intelligant inter Creatorem, & creaturam nullum concupiscentiæ amorem intercedere posse. Quid est enim amor concupiscentiæ; nisi desideriũ alieno vel in vsum, vel ad proprietatem fruendi? Quid est in nobis præterea, quod à Deo non sit; & quod ipsi, vt creditori maximo non debeatur? Audiant Apost. dicentem, Quid habes, quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quid denique est, quod nobis eripere concupiscat? ac si bonorum nostrorum egeret; Et passionibus, veluti nos, obnoxius esset. His certè spoliare nos voluit, morte, & perditione æterna; ob quod filio suo.

ſuo non pepercit. Erubeſcant igitur talia opinā-tes; exultent immo, maximasq; Deo gratias habeant, qui dignatus eſt per nos potius oſtendere gloriam ſuam; cum idem, ſi libuiſſet, per alias creaturas præſtare valuiſſet.

ART. QVARTVS.

An meritorum noſtrorum præſcientia Prædeſtinationis ſit cauſa?



E finali, & efficienti cauſa prædeſtinationis ex ſuperioribus cōſtat: difficilior occurrit iam dubitatio, An aliquid ponatur ex parte noſtra, quod prædeſtinationis cauſa dici valeat? puta opera bona præuiſa à Deo. Duobus articulis hanc rem abſoluam, vt lucidior fiat. Et ne per exteras regiones incedamus, articuli titulū explanabo. Vbi ergo quæritur, an meritorū præſcientia ſit noſtræ prædeſtinationis cauſa, non eſt ſumenda prædeſtinatio pro actu Dei prædeſtinā-tis; fieri enim non poteſt, nec rationi congruit, æterni vt aliquod temporaneum cauſa ſit. Illud enim eſt infinitum, hoc finitum: illud primum ens, hoc dependens ab illo. Nulla igitur poteſt eſſe ratio, cur Deus ab æterno decreuerit ſe collaturum

turum in tempore electis suis media ad consequendam fælicitatem supremam, & cur illos elige re voluerit; nisi voluntatis ipsius suam met bonitatem causam esse dicas, sicut etiam respectu creationis dici solet. In hoc omnes conueniunt, præcipuè D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. Henr. quodl. 4. q. 19. quem refert Scotus 1. sent. dist. 40. quæst. vnica. Duran. 1. sent. dist. 41. quæst. 2. & Heru. eadem dist. quæst. 1. In proposito igitur art. sumi debet prædestinatio pro obiecto, circa quod est talis actus, id est pro congerie omnium effectuũ, quos Deus ex tempore confert electis; & prædestinatis; ita quòd vnus effectus alterius causa dicatur; & sensus sit, An Deus præordinauerit se daturum alicui effectum aliquem prædestinationis ob aliqua merita? Præterea sciendum est huiusmodi causam dupliciter attendi posse, vel vt finalem, vel vt meritoriam, quæ ad agentem quodammodo redigitur. Si de prima sit sermo, quæstio intelligitur, an totius prædestinationis effectus sit in nobis aliqua causa finalis? Vbi est opinio Durandi loco iam cit. qui vult prædestinationem duobus modis capi posse: propriè, vti est solummodo mediorũ, minimè autem finis. Secundò impropriè, seu largè; quomodo nedum media omnia, verum & vltimum finem complectitur. Hoc supposito, est eius Conclusio. Si sumatur prædestinatio

tio primo modo, totius effectus prædestinationis potest dari causa ex parte nostra; non meritoria, sed finalis. Probat deinde, quia prædestinatio non est finis, sed mediorum tantum; ergo beatitudo nostra non est effectus prædestinationis; sed potius totius effectus, idest omnium mediorum, finis. Si sumatur autem secundo modo, tunc totius effectus, nulla potest dari finalis causa in nobis ex parte nostra. Et ex eo probat, quia hoc modo prædestinatio nedum media, sed vltimū quoque finem includit; igitur vltimus finis est praedestinationis effectus. Quare hac ex parte non potest dari causa finalis.

Hæc tamen opinio recedit à communi; iuxta quam praedestinatio supponit voluntatem efficacem ipsius finis; ergo propriissimè tum media, tū finem includit; ita vt non media solum, sed vltimus quoque finis sit prædestinationis effectus. Est igitur opposita Conclusio, Totius effectus prædestinationis non datur in nobis ex parte nostra causa finalis. Ex eo clara est, cum noster vltimus finis beatitudo sit, quae prædestinationis est effectus, cuius ex parte nostra finalis causa nulla extat.

Si autem de tali causa, vt de meritoria loquamur, Gabriel occurrit 1. sent. dist. 41. quæst. vnica, dub. 1. Vbi prædestionationem ait, si de

ipsa propriè loquamur, respectu totius effectus causam habere meritoriam. Quòd postea probat. Prædestinatio, propriè loquendo, solum est finis, non autem mediorum; beatitudo ergo, quæ finis est vltimus, erit solummodò prædestinationis effectus: sed huius datur in nobis causa meritoria; ergo ex parte effectus datur causa meritoria: Quòd si, deinde dicit, impropriè loquamur; quatenus prædestinatio cum mediis finem amplectitur: tunc respectu totius effectus non habet causam simpliciter meritoriam; habet tamen aliquo modo: vt meritum aliquod antecedens, non simpliciter, sed secundum quid. Et hæc à communi etiam recedit. Nam prædestinatio, si propriè loquamur, non solum finem includit, sed omnia etiam media, quibus in finem itur; ita vt media omnia, quæ valent excogitari, sint prædestinationis effectus. Suadetur hoc modo, Prædestinatio pars est prouidentiæ, cuius est munus omnia media statuere, quibus finem assequamur. Itidem ergo prædestinationis est omnia statuere media ad finem. Colligitur etiam ex Aug. de prædest. Sanct. cap. 10. Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, ergo est præparatio mediorum, & finis; ergo effectiua est mediorum, & finis. Vlterius ex Paulo ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;

sed

ſed qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Vbi vocationem,& ſanctitatem, quæ per fidem,& charitatem acquiritur,tribuit Apoſt. æterno Dei propoſito, & prædeſtinationi. Eod.quoque cap. Quos præſciuit,& prædeſtinauit,& c. quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, & glorificauit. Vocatio ergo, iuſtificatio, atque glorificatio ſunt prædeſtinationis effectus: atque prædeſt. non ſolum finem, ſed etiam media complectitur. Vanè igitur hac ex parte totius effectus praedeſtinationis cauſam vllam dari affirmat.

Accipiamus nos ergo communi cum doctorũ ſententia prædeſtinationem vt media ſingula cũ fine complectitur; inde quæſtio ſit, An detur in nobis aliqua cauſa huius prædeſtinationis? Vel (quod redit in idem) an primi prædeſtinationis effectus detur in nobis aliqua cauſa, ſeu meritum aliquod: an potius in ſolam Dei voluntatem totum referatur?

Pro parte affirmatiua poſſumus argumentari; primò ſcripturæ teſtimoniis. Paul. ad Rom. 8. Quos præſciuit,& prædeſtinauit conformes fieri, & c. Cuius videtur eſſe ſenſus, quos Deus præſciuit gratia, & libero arb. benè vſuros, hos prædeſtinauit. Quare bonus vſus præuiſus cauſa prædeſtinationis eſt. Secundum teſtimonium eſt Malach. 1. quem citat Apoſt. Rom. 9. Iacob dilexi,

Esau autem odio habui: vnde argumentum colligo, Obiectum amoris est ipsum bonum, odii autem ipsum malum; sed obiecta sunt actibus priora; ergo cur Deus quosdam diligat, quosdam verò odio habeat, causa est, quia Deus hos præuidit bonos, illos verò malos fore: igitur ex parte nostra datur causa praedestinationis, & reprobationis. Tertium colligitur ex Matth. 25. Deus dicitur se habere cum hominibus, vt homo, qui vocatis seruis primo dedit quinque talenta, alteri duo, postremo verò vnum; cuilibet secundum propriam virtutem. Hæc autem talentorum distributio, secundum sanctos, bonorum spiritualium distributionem designat, ergo Deus vnicuique gratiam, & gloriam distribuit iuxta propriam virtutem; ergo secundũ priora merita: ergo ex parte nostra ratio praedestinationis est. Quarta auctoritas est Pauli 2. Tim. 1. In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea; sed etiam fictilia, lignea, & c. Si ergo quis mundauerit se ab istis (dicit Apost.) erit vas in honorem sanctificatum; ergo bonus vsus videtur esse ratio, causaue sanctificationis. Sunt, præter hæc, alia non pauca scripturæ testimonia, quæ possent afferri in huius partis comprobationem: cuncta nihilominus non referam. Opiniones grauissimorum doctorũ, quæ ad idem adiicientur, quò melius intelligantur, nõ

debet

debet esse occultum; dubium non verti, an totius effectus prædestinationis in communi opera nostra causa dici possint? Expresse namque patet huiusmodi causam solam Dei bonitatem esse, quæ per modum misericordiæ nonnullis ostenditur; aliquibus verò per modum punitiuæ iustitiæ, vt iam dictum est. Habetur præcipuè Rom. 9. Volens Deus ostendere iram; idest vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit; idest permisit in multa patiẽtia vasa iræ apta in interitũ: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Est August. 22. de Ciuit. Dei. Si remanerent omnes in pœna, dicit ipse, non appareret gratia redimentis, & si omnes transferrentur de tenebris ad lucem, in nullo appareret seueritas vltionis. Est D. Thom. loco cit. art. 5. ad tert. Est tandem Doctoris deuoti 1. sent. dist. 41. quæst. 2. Et Guiller. Vorrillo. ead. dist. quæst. 1. art. 2. concl. 2. Rationes autem Henr. in oppositum, quodl. 4. quæst. 14. & quodl. 5. quaest. 5. Aureoli quoque 4. dist. 41 quaest. 1. non conuincũt. Vnde illis optimè satisfacit Caiet. 1. p. quæst. 23. art. 5. Vnũ ipse dicere non omittã; non mediocrem dicere perfectionem in Vniuerso, si Deus prouidentia sua omnia ibi suauiter disponat, nullã inferens vim, sed omnia suis viribus relinquens arbitrii

bitrii libertatẽ nullo pacto impediens, quod maximè est de ratione prouisoris Vniuersi, quomodo idem Caiet. notat, eadem quæst. art. 4. Inde postea defectus eueniunt, quia vires arbitrii sibi ipsis relictæ defectibiles sunt. Concedo ergo, cum defectus de se, & formaliter turpitudinem dicant, ad Vniuersi perfectionẽ non esse: vt inde tamen infertur suauis Vniuersi dispositio, & causæ libertas, non paruam denotant perfectionem: quam libertatem, & si Deus non cogit, nec hortatur ad malum; sed pro suaui solum Vniuersi dispositione quandam habet tolerantiã: numquam tamen deserit ad bonũ suauiter inspirando, per scripturas, atque Prophetas vocando: per præmia alliciendo: atque per leges deterrendo. Non vult cogere; ne hanc suauem deturpet dispositionem. Supposito deinde peccato; vide quam suauiter se gerat Deus, semper misericordiam suam faciens super abundare, vt diu substineat, ac malos ad pænitentiam expectet. At si iustitia quoque in impænitentes vtatur, mirũ minimè videri debet; cum inde, per oppositionẽ, magis reluceat misericordia. Deus enim substinet malos, non solũ vt bonos per eos purget in hoc seculo; sed vt ostendat diuitias gloriæ suæ in futuro, faciendo apparere ad cõparationem malorũ bonos esse amplius gloriosos. Adest etiam, quòd si iustitia non vteretur,

praeter

praeter id, quòd non ita pulchrum esset vniuersum; multa sequerentur incómoda, quae optimè inspicienti pendenda relinquo. Legant ipsi prætereа Aug. super Psal. 54. Ne putetis, dicit, gratis malos esse in hoc mundo; & nihil boni de illis Deũ agere. Omnis enim malus, aut ideo viuit, vt corrigatur: aut per illum vt bonus exerceatur. Quando autem dicunt melius esse quemlibet potius saluari, quàm damnari; si loquantur respectu vnius, & eiusdem personæ, verum dicunt; si autẽ respectu vniuersi, verum non est. Sicut enim quilibet color de se perfectior est, si sit albus, quàm quilibet alius: respectu tamen figuræ, si tota fieret ex albo; diceret imperfectionẽ. Item, si quodlibet membrũ corporis esset oculus, vtique de se esset nobilius, & perfectius: si verò totum corpus esset oculus, ibi maxima esset imperfectio; cũ non audiret, nec gustaret: sic in proposito. Vnde dicebat Aug. in Ench. cap. 10. Malum benè ordinatum, & suo loco positũ eminentius comendat bona; vt magis placeant, & laudabiliora sint. Ratio ergo dubii, quod maximè sciri optatur (vt ad nostra reuertar) in hac parte sistit: quia tam praedest. quàm reprob. ab æterno fuerunt. Et secundum Matth. ab æterno Deus quibusdam Paradisum, quibusdam verò infernũ parauit; cum iam omnes homines in meritis, atq; demeritis æquales

les erant: nihilominus, cũ Deus gloriam æternã praeparauerit Petro, Iudæ autem pœnam æternã: quaeritur, numquid in Petro tunc aliquid esset, propter quod Deus talem illi gloriam parauerit? Similiter, an in Iuda quid reperiretur, ob quod in aeternam pœnam damnaretur? Scolastici sic proponunt quaestionem. An effectus totalis praedestinationis in particulari; idest respectu particularis personae, vllam habeat ex parte nostra causam?

Prima opinio pro parte affirmatiua est Orig. super Epist. ad Rom. 9. & in Periarchon asserentis propter bona opera, vel mala in praeterita vita ab animabus peracta priusquam corporibus infunderentur, aliquos electos fuisse, nonnullos verò reprobatos. Falsam Platonis opinionẽ hic sequutus fuit, qui voluit cunctas rationales animas separatas à suis corporibus fuisse creatas, & multò antea. Postmodum, quoniam ipsarum aliquæ grauiter peccarunt, ob id in vilissima corpora deiectas fuisse: alias verò ob merita, bonasquè actiones nobilissimis corporibus addicatas. Præter ea, quæ huic opinioni dicentur inferius, hìc dicere non prætermittam, illius opinionem Aristoteli maximè repugnare. Voluit enim 12. met. t. 16. nullam formam esse ante compositũ. Anima igitur, cum per eundẽ 2. de Anima t. 5. sit corpo-
ris

tis forma; nullo pacto erit ante ipsum corpus.

Est secunda opinio Ioan. Chrysost. ead. Epist. eodemque cap. illud explicantis, Cum nondum nati fuissent, &c. Vbi seipsum interrogat, cur ex nondum natis vnum præ alio elegit? Et respondens ait causam esse, quia Deus non expectat, quemadmodum homo, vt ex rerum exitu iudicet bonum, vel malum: sed antequam quicquam generetur, nouit quòd hic bonus, ille verò malus sit.

Eiusdem opinionis fuisse videtur D. Hierony. l. super Malach. c. 1. sic dicens; Dilectio, & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorū, vel ex operibus. Et super Abacuch. c. 1. ait, In praedestinatione non esse acceptationem personarum; quia praedestinatus per fidem fuit causa suæ vitæ; infidelis autem per infidelitatem causā suæ mortis. Vlt. super Epist. ad Gal. c. 1. ait Deū diligere quos præscit esse futuros iustos, eos verò odio habere, quos præscit peccaturos.

Eandem hanc sententiam tenuit Aug. lib. 83. quæst. 68. Tom. 4. vbi dicit quòd voluntas in Deo, qua vnum eligit, venit de occultissimis meritis.

Tertia sententia est Ambrosii in Epist. cit. cap. 9. tenentis; vt multi cum illo tenent: Deum neminem damnare antequam peccet; nullumque coronare priusquàm vincat: omnia tamen ipsum

F inferni

inferni finem, & gloriæ denotant. Quare voluit Ambros. præuia merita causam esse prædestinationis,& demerita reprobationis. Cumquè ab æterno omnia Deo fuerint præsentia; hinc quodammodo apparet, opera meritoria, ac demeritoria fuisse Deo præsentia;& secundum illa ipsum prædestinasse, ac reprobasse.

Quarta assertio est Ambros. Cathar. qui nouã rem imaginatus est, tres hominum gradus constituens. Ait enim Deum aliquos ab æterno elegisse simpliciter quodam speciali dono ad vitã æternam: aliquos sub conditione, vt si benè fecerint in finem vsque: nonnullos verò infallibiliter reprobasse.

Non est probabilis hæc sentẽtia, & mihi numquam placuit;immo imaginaria potius,quàm vllo firmata robore videtur. Dimittatur ergo tanquàm singularis;nec satis tuta.

Vltima opinio est,quam tenuit aliquãdo Beat. Aug.in Epist.ad Rom.6. multisquè aliis in locis, vbi videtur asserere non opera Deum elegisse,sed fidem. Elegit enim, dicit ipse, quos præsciuit credituros esse.

His tamen non obstantibus, pro negatiua parte,quæ sola simpliciter vera est; plures; & expressæ sunt Apost. auctoritates, vbi ex professo partẽ destruit affirmatiuam. Præcipua illa est Rom.9:

Cum

Cum nondum nati fuissent,&c.Quem locum explicans Aug. ad Simplic. quæst. 2. tria notat. Primum, consultò dixisse Apost. Isach ex vno concubitu vtrumque genuisse; vt suspicio tolleretur referendi prædestinationem, vel reprobationē ad merita, vel demerita parentum; si essent in gratia in vnius conceptu,& in peccato in conceptu alterius. Vtquè occasionem destrueret horum inæquales sortes ad astra referendi. Secundum, ideo sic Paulum loquutum fuisse, Cum nondum nati fuissent,aut aliquid boni,vel mali fecissent: vt merita omnia præcedentia perimeret. Tertium,hac de causa adiecisse; Non ex operibus, sed ex vocante: vt rationem, ac omnium operum suspicionē, etiam subsequentium auferret. Inquit denique Aug. dum omnia refert Paulus in Dei voluntatē, inquiēs,Miserebor cuius misertus sum,&c.Rom. 9. Iterum,Non est volentis, neque currentis,&c. Vlterius, Non nè habet potestatem figulus luti? Sole clarius ostēdit nullam dari prædestinationis causam ex parte nostra.

His ita dispositis, pro huius art. determinatione duas ponam conclusiones ad dubium respondentes, hoc vno prænotato, quòd de prædestinationis effectu dupliciter loqui valemus; vel de totali, vel de particulari. Totalis omnes sunt simul collecti: particularis, vel finis est solus, vel ad

finem mediorum aliquod.

Sit prima conclusio. Effectus praedestinationis particularis datur ex parte nostra aliqua causa. Vt intelligatur aduertendum est, inter particulares prædestinationis effectus hunc ordinem seruari, vt vnus alterius in diuerso genere dicatur causa. Gratia enim causa efficiens operis meritorii dici potest: at opus meritorium causa finalis ipsius gratiæ. Gratia similiter causa est meritoria, & efficiens quodammodo gloriæ, vt Rom. 6. Gratia Dei vita æterna: gloria tamen finalis causa gratiæ. Vbicumque igitur homo primam gratiā receperit, aliquid est in ipso, quod alicuius particularis effectus prædestinationis causa dici valeat; vel enim operis meritorii, vel gloriæ. Sed primi effectus, vt vocationis efficacis, de qua sermo est; cum generali multi sint vocati, pauci verò electi Matth. 10. nulla inuenitur causa ex parte nostra; sed solum gratis, & secundum Dei propositum euenit. Clarissimè habetur Rom. 9. & in Glosa illud exponente, Quos vocauit, & c. & apud Aug. super Ioan. tract. 16. cum dicit, Cur Deus hunc trahat, idest efficaciter vocet, noli iudicare, si non vis errare; quasi dicat, quia causam non habet ex parte nostra: secus enim initium fidei, & conuersionis esset ex nobis & non à Deo solum, quod esset cum Pelagio sentire. Secundus

præ-

prædeſtinationis effectus, & maximus quidem, eſt gratia gratum faciens; quæ alio nomine dicitur gratia prima, fortè ratione perfectionis, ſeu excellentiæ reſpectu præcedentis. Quomodo homo, ſeu prædeſtinatus ad hanc concurrat, non eſt facile indagare. Ideo prius dicendũ eſt, gratiam bifariam conſiderari, vel vt donum gratis conceſſum, quomodo gratiam nemo valet mereri. Rom. 2. Si gratia ex operibus, iã non eſt gratia. & Rom. 4. Vel conſideratur vt eſt donum cõferens hominibus eſſe diuinum, & ſupernaturale, gratos Deo ipſos reddens. Et circa hanc acceptionem vertitur difficultas, an homo poſſit ſibi promereri talẽ gratiam? Eſt communis opinio, vt Alex. Thom. Scoti, Bonau. Riccardi, Durandi, & omniũm Pariſienſium, qui primò diuidunt meritum in meritum congrui, & in meritum condigni. Meritum condigni eſt opus, cui ex rigore iuſtitiæ, vel ſaltem ex pacto, & diuina promiſſione debetur merces. Quo pacto dicunt, & benè, neminem poſſe ſibi, vel aliis primam gratiam mereri: Meritum de congruo, dicunt ipſi, eſt operatio, cui ex rigore iuſtitiæ, vel ex promiſſione nihil eſt debitum: decet tamen liberalem retributorem eam aliquo præmio decorare. Quare dicunt omnes, hominẽ in peccato mortali exiſtẽtem, legitimè tamen ſuis naturalibus operibus vtentem promereri apud

Deum

Deum non ex iustitia, non ex pacto, vel conditione; neque ex natura operis, sed ex mera Dei liberalitate congruum est aliquo spirituali præmio illum decorari.

Recessit ab hac communi præcipuè Dom. Soto in lib. de natura, & gratia cap. 4. nolens audire nomen meriti de congruo. Mouetur his rationibus. Primò, Vbi meritum est, ibi ratio debiti; sed gratia numquam est debita operibus factis in peccato mortali, ergo numquam potest aliquis mereri gratiam primam. Secundò, quia Aug. & alii patres contra Pelagium contendentes de hac distinctione numquam mentionem fecerunt, perpetuò contendentes gratiam non dari ex meritis; ergo nullum est meritum congrui ad gratiam primam. Tertiò, quia hoc concesso, initium salutis, & iustificationis esset ex nobis, & nō ex Dei gratia; quod est Pelagianum.

Re vera opinio Soti magis mihi placet, nil tamē cōmuni detrahēdo. Ingratū est enim piis auribus nomen huius meriti respectu primæ gratiæ, quia quātum vis extenuatū sit, semper sapit naturā debiti. Et si Patres aliquādo de eo meminerunt; nūquam intellexerunt respectu primæ gratiæ. Ita videntur attestari Driedon cap. de Concor. & Ruardus Tapper in exposit. art. fid, art. 5. de libero arb. qui versatissimi sunt in Patrum lectione.

Habe-

Habetur expresse ab Aug. inde correp. & grat. cap. 3. & 16. vbi dicit, quòd saluatis indebita gratia confertur. Laurentius Opimus Bononiensis grauissimus Seruitarum Doctor 2. sent. dist. 25. quæst. 5. in prima collaterali fortissimo vtitur medio pro hac parte. Et oppositum asserere, dicit esse contra Aug. vel Hierony. in Epist. ad Paulinum, vbi dicitur quòd de ratione gratiæ est, vt præcise gratis detur. Fundamentum verò communis opinionis non est difficile, nec inconueniens moderare. Concedimus enim homini facienti quod in se est decenter tradi à Deo ex mera sua liberalitate gratiam primã; negamus tamen aliquo merito hominem ad illam concurrere. Vnde alius est sermo, homini decenter largitur prima gratia; & alius, homo meritoriè recipit illam. Primus nec à Soto confutaretur; sed omnis illa decentia, seu congruitas tenet se ex parte munificentiæ Dei, vt etiã ipsi concedere videntur: operatio verò hominis solum est dicenda ratio, sine qua non, vt clarius infra, & hoc ne derogetur sapientiæ Diuinæ, vt est Bonau. 1. sent. dist. 41. quæst. 2. ad obiec. Rationes etiam Soti possunt moderari; sed hoc contrariam partem substinenti relinquo, quia iam exponendum est quæ sit operatio hominis ad primam gratiam; hoc præmisso, quòd gratia duplex est, operans, & cooperans. Nã quãdoque

doque voluntas nostra mota est à Deo, & non mo uet se; vt cum Deus animũ hominis per peccatũ auersum mouet illuminando, tunc tẽporis dicitur operari per gratiam operantẽ. Sed cum voluntas mota illa prima Dei motione acquiescit; nec solũ à Deo mouetur, sed seipsam mouet per auxilium gratiæ diuinæ: hæc gratia cooperans appellatur. Potest etiam accipi gratia pro dono gratũ faciente, cum primus effectus gratiæ sit efficere hominẽ Deo gratũ; ratione cuius etiã gratia operans dicetur. Sed si inspiciamus vt reddit opera nostra meritoria vitæ æternæ, cooperans erit. Iterũ, cũ Deus nostram prius mouet voluntatem, vt benè velimus, dicitur gratia præueniens: at cum iam benè volumus, vel operamur, vel in virtute persistimus; cũ per gratiam Dei hæc omnia consequamur; gratia subsequens appellatur. Dicimus modò supposito speciali Dei auxilio, hominem ad primã gratiam concurrere, non merè passiuè, vt nouissimè decretum fuit à Spiritu sanct. in sacra Synodo Trident. Sess. 6. cap. 4. & 9. Sed dispositiuè, assentiendo, & gratia Dei cooperante se actiuè determinando. Sicut enim homo præparat materiã ad animam rationalem, quæ à solo Deo est; ita voluntas animã præparat ad gratiam à solo Deo donandã. Cum enim gratia sit quædam forma supernaturalis; & nulla forma, vt forma,

ma introducatur, nisi in subiecto ad ipsam benè dispositio; requiritur vt homo ad illā se optimè disponat. Hinc Ezech. 18. habetur, Proiicite à vobis iniquitates vestras, quas impiè gessistis in me: facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: conuertimini, & agite pœnitentiā, & ego dabo vobis cor nouum. Hanc dispositionē vocant Theologi conatum, qui consistit in faciendo totū, quod in se est. At facere quod in se est, ex D. Thom. 4. dist. 17. quæst. 1. art. 7. in duobus præcipuè cōsistit. Primò in mouendo se ad Deū propter amorem. Secundò in habendo veram contritionē de peccatis. Vbi non ignorandum est, aliud esse dictu, facere quod in se est; & aliud, facere quantum quis valet ex his, quæ habet. Hoc enim postremo modo solum habet homo, vt peccare possit: quod non intellexit Martinus Luther art. 36. suarū assertionū. De verit. 28. dicit etiā D. Tho. neminē facere quod in se est, nisi affectu, & desiderio conuertatur ad Deum spe, & amore, & peccatum detestetur. Caiet. quæst. 109. art. 6. dicit, Homo faciendo quod in se est, disponit se ad gratiam; & intelligitur, dicit ipse, de dispositione, & præparatione nō simpliciter, sed quantū est ex parte sua. Et rursus de dispositione simpliciter loquendo, intelligitur vt faciat quod in se est motus specialiter à Deo, obsequendo diuinæ motioni.

D. Bonau. 2. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 2. asserit, facere quod in se est, dupliciter sumitur; vel positiuè, vt quando facit homo aliquid ordinatū ad gratiam;& tantum,quantum potest, quæ est dispositio ad gratiam. Vel priuatiuè,vt homo dicatur facere quod in se est,quia facit quod potest; quamuis illud non sit ordinatum ad gratiæ susceptionem; quomodo ad gratiam sufficienter non disponit. Hoc dicit in solut. argum. Alex. de Hales quæst. *99*. art.3. ad *6*. de hac re optimè loquitur, scripturæ quamplures afferens auctoritates. Concurrit etiam homo gratia Dei cooperante, actiuè sponte assentiendo, nullatenus vocationi diuinæ reluctando: posset enim si vellet, vt Concil. Trid. loco cit. secus non maneret arbitrii libertas. Et ideo dixit Aug. qui fecit te sine te, non saluabit te, sine te. Tota hæc operatio hominis respectu primæ gratiæ, fortè etiam dici poterit causa sine qua non, quæ ad effectum necessariò concurrit; licet ipsum, vt agens, non attingat. Exemplum est de aperitione fenestræ respectu illuminationis domus; Sol enim per se, solus, & efficienter potest, & paratus est illuminare domum; expectat nihilominus aperitionem fenestræ, quæ minus principaliter, inquantum remouet prohibēs; & aditum relinquit radiis solaribus, ad talem illustrationem concurrit. Vnum hoc indubitabile

sit

sit,nō posse hominem talia præstare sine Spiritus Sanct. adiutorio. Est eiusdem Concil. loco cit. can.3.habetur etiam Ioan.10.Nemo venit ad me; nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum. & Hiere. 51. Conuerte me domine ad te, & conuertar,quia tu es dominus meus.Ex quibus omnibus patet hunc etiam secundum prædestinationis effectum à Deo potissimè dependere; ipse namque solus est,qui gratiam creat, & infundit efficienter: ipse est, qui dat homini,vt possit se disponere, & præparare ad primam gratiam; totum igitur ipsi, absolutè loquendo,tribuendum est. Sed iam ponatur secunda conclusio.

Sola Dei voluntas est causa per se sufficiens, quare totalis prædestinationis effectus huic detur, & non illi; & nihil est ex parte nostra, propter quod hic potius,quàm ille sit prædestinatus. Est D. Thom. loco cit. & 1. quæst. 41. art. 3. & de verit.quæst. 6.art.2. & in quodl. ac multis aliis in locis. Scoti 1.sent.dist.41.quæst. vnic. post recitatas aliorum opiniones. Franc. de Mairo. eod. loco Guilel.de Rubione. Egidii, Greg. de Arim. Ioan.de Bassolis, Scotarelli. Siluestri de Prierio in 1. Confl. & aliorū, quos ob breuitatem omitto numerare. Est tandē Caiet. super Matth.cap.11. & Heru. loco cit. Probari potest, primò singulis auctoritatibus Pauli pro negatiua parte iam alla-

tis. Præterea Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Quo tempore omnes eramus æquales in meritis, atque demeritis; nihilominus huic gloriam, illi verò pœnam parauit. Psal. 97. Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra; idest ad libitũ suum. Aug. super Ioan. dicit, Quare Deus hunc trahat, & illũ non trahat, noli iudicare, si non vis errare; ac si diceret, de facili erratur, si diuinæ voluntatis causa quæratur, cum non sit nostrũ de hoc iudicare. Ideo Paul. Rom. 11. exclamat, O altitudo diuitiarũ sapientiæ, & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit?

Iam reliquum est, vt argumenta in contrariũ soluantur, seu potius interpretentur. Ad primũ testimonium Pauli dicunt aliqui, Apost. ibi loqui de simplici scientia in communi; & tunc sensus erit: Quos Deus præsciuit, & prædestinauit; idest quos Deus non solum cognouit scientia communi; sed etiam prædestinauit, & c. Caiet. hunc in modum exponit; quòd licet in scriptura primo loco ponatur præscientia, quàm prædestinatio; tamen secundum veritatem prior est prædestinatio, respectu praedestinatorum, quàm præscientia; non

secun-

ſecundum rem; ſed ſecundum rationem. Prius enim eſt Deum res velle fore, quàm præſcire illas fore: & tunc eſt ſenſus. Quos præſciuit, & prædeſtinauit; ideſt prædeſtinauit priuſquam præſciret; hos vocauit, & iuſtificauit: vt præpoſitio, præ, non ſolũ ad prædeſtinatos referatur, ſed etiam ad præſcientiam: diſpari tamen ratione: refertur enim ad prædeſtinatos ordine temporis, ad præſcientiam verò ordine quodam cauſalitatis. Vnde clarum eſt, quòd præſcientia bonorum operum non eſt cauſa prædeſtinationis; cum præſcientia, potius ſequatur prædeſtinationem. Stante hac interpretatione Caiet. facilè eſt intelligere D. Hierony. ſuper Hierem. 26. Vbi ait non ex eo, quòd Deus ſcit aliquid futurum, idcirco id erit; ſed quia futurum eſt, ideo Deus nouit: quaſi præſcius futurorum. Tertiò, & fortè melius, dicere poſſumus, Paulum ibi loqui non de ſcientia in communi; ſed de ſcientia approbationis, vt idem Caiet. adnotauit: ſeu de ſcientia iudicatiua, quod redit in idem per Dom. Sot. eod. loco. Deus enim neminem prædeſtinat, neque de re aliqua diſponit; niſi præuio iudicio, puta, quòd bonum id fieri ſit, & tunc ſenſus erit. Quos præſciuit, ideſt quos apud ſe iudicauit bonum eſſe beare, hos, & non alios prædeſtinauit. Si quis autem diceret, Bonum eſſe

esse hos beare supponit voluntatem Dei, per quam est omne, quod est bonum; ergo prius est hos prædestinare ad beatitudinem, quàm sit bonum eos beare. Ad hoc dicitur vnum esse causam alterius, & è conuerso; diuerso tamen in genere. Nam in genere efficientis prior natura est prædestinatio; quàm verum sit à parte rei hos beare: at in genere causæ obiecti, & quasi finalis, prius secundum modum intelligendi, Deus iudicat bonum hos beare; quàm illos in beatitudinem eligat. Ad secundum respondetur. secus rem se habere in dilectione nostra, ac in dilectione Dei; vt notat D. Thom. art 4. in hac materia: nam dilectio in nobis est posterior eo, quod diligitur; in Deo verò oppositum contingit; dilectio enim prior est, quàm sit bonũ, quod diligitur ab eo: loquendo scilicet de dilectione erga creaturas. Si quis opponat obiectũ præcedere actũ; tunc dicerem verum esse, quando obiectum est causa actus: at vbi actus est causa obiecti, oppositum contingit: vt cum aliquis igne calefacit aquã; calor est obiectum calefactionis, tamen calor nõ præcedit calefactionem; sed sequitur potius, quia non est illius causa; sed terminus, & effectus. Quare argumentum hoc potius construit, quàm destruat opinionem nostram: diuina enim dilectio non supponit, sed efficit effectum prædestinationis;

nis; ergo ex parte nostra primi effectus prædestinationis non potest intelligi aliqua causa. Dicitur ad tertium, si nomine talentorum gratiam iustificationis intelligamus; per primam virtutem debemus intelligere dispositionem ad gratiam; & quò maior est, ad maiorem gratiam disponit: sed hæc cum à Deo sit, & effectus ipsius gratiæ, vt dictũ est; non potest esse causa totius effectus prædestinationis. Si verò nomine talentorum, vt magis literæ congruit, gratias alias intelligamus, & onera in Ecclesiæ vtilitatem iniuncta; vt officia, & beneficia Ecclesiastica; quomodo legitur Ephes. 4. Et ipse dedit alios quidem Apost. alios autẽ Prophetas: facilior est solutio. Deus enim in talium onerum distributione, non solum respicit virtutẽ supernaturalem; sed ingenium, conditionem, & vires naturales: vt sic iniungat secundum vires, curam, & onus. Ad quartum respondetur hominẽ adultum posse per liberum arb. se mundare; non tamen sine Dei gratia, vt pluribus in locis clarissimẽ statuit Apost. præsertim Galath. 2. & est plurium Concil. at hic etiã actus necessariò sub prædestinationis effectu continetur. Et si quis diceret liberum arb. posse liberè assentiri, vel non assentiri: vti gratia Dei, & non vti: ergo vsus hic præuisus potest esse causa prædestinationis. Huic respondetur, liberum arb. posse quidem per seipsum

ſum ſolum cadere, vel non aſſentiri; at quòd aſſentiatur, vel quòd cooperetur, ſiue vtatur gratia Dei; non eſt à ſolo libero arb. ſed à libero arbitrio gratia informato, & illuſtrato. Sicut effectus cauſæ ſecundæ, non ſolum eſt à cauſa ſecunda; ſed à cauſa ſecunda ordinata ad primam. Quare omnis aſſenſus, omniſquè cooperatio liberi arb. conducens ad beatitudinem, eſt etiam effectus ipſius gratiæ, et per conſequens prædeſtinationis.

Ad ſanctorum teſtimonia quidam dicunt, Sanctos illos antiquos eius fuiſſe ſententiæ; quod ego vix credere poſſum. Potius igitur interpretandi ſunt, quàm in illam ſententiam deducantur. Tribus autem modis exponi poſſunt. Primò, quòd loquuti ſint de finali cauſa. Sic enim; vti opera præuiſa ſunt finalis cauſa iuſtificationis; adhoc quippe Deus aliquem iuſtificat, vt mereatur, vt cooperetur; vtq; poſſit fructus exhibere dignos vita æterna: ita etiam opera præterita ſunt finalis cauſa prædeſtinationis, ſcilicet ex parte primi effectus. Quarè, cum ſancti dicunt, Deum prædeſtinare aliquos propter opera præuiſa; non in genere cauſæ efficientis intelligendi ſunt, ſed in genere cauſæ finalis. Confirmatur, quia ſicut ſciētia Dei non cauſatur à ſcitis, ſed è contra; vt aliàs dixi, ita voluntas: quare ſicut res ſunt futuræ quia

Deus

Deus ſcit illas; ita, ideo nos ſumus facturi bona opera, quia propoſuit dare gratiam. Secundò poſſunt interpretari, vt loquantur de prædeſtinatione, & reprobatione reſpectu vltimi effectus: quomodo verum eſt Deum aliquos elegiſſe ab æterno ad gloriam propter opera praeuiſa, alios autē reprobaſſe propter demerita praeuiſa. Quæ expoſitio magis mihi placet: quoniam ſancti in hac materia de prædeſt. & reprob. loquentes, ſemper vltimos effectus reſpicere videntur. Et iſta expoſitio concordat primæ concluſioni reſponſiuæ. Iuxta hunc ſenſum eſt etiam exponendus Aug. lib. 83. quaeſt. q. 68. à quo tamē dicto ſe retractauit; vt vult Magiſt. Sed eſto quòd ſe non retractauerit, ita intelligendus eſt. Interpretantur tertiò illa dicta ſanctorum de bono vſu liberi arb. qui antecedit illam gratiam in puncto iuſtificationis; vt ſit ſenſus quòd Deus ab aeterno ſolos illos praedeſtinauit (de adultis loquendo) quos praeuidit benè vſuros libero arb. & cooperaturos: non quòd aſſenſus liberi arb. ſit prior ſimpliciter, ſed ſolum in genere cauſae materialis: Et haec optima eſt explicatio. Si quis dicat, ergo datur ex parte noſtra aliqua cauſa. Dico quòd datur cauſa materialis, & ſecundum quid; non autē ſimpliciter, & meritoria, vt multi voluerūt; tum quia diſpoſitio haec in genere cauſae efficientis eſt po-

ſterior gratia; tum etiam, quia, vt gratiam antecedit, non poteſt eſſe vltimà diſpoſitio ſine auxilio Dei ſupernaturali. Ad Aug. dicitur, ipſum eius fuiſſe aliquando ſententiae, vt cum Pelagio crederet initium fidei non à Deo eſſe; ſed poſſe hominem praedicato Euangelio per liberũ arb. vel credre, vel reſiſtere. Vnde inferebat, eos Deũ elegiſſe, quos praeuidit eſſe credituros: eos autẽ reprobaſſe, quos infideles fore praeuidit. Retractauit ſe tandem ab hac opinione in lib. de praedeſt. Sanct. c. 2. & lib. 1. retract. cap. 23. inquiens, Dixeram Deum non opera, ſed fidem elegiſſe; quod profectò non dicerem, ſi iam ſcirem ipſam etiam fidem inter Dei munera reperiri, quæ donatur in Spiritu ſancto. Neque difficile eſt præterea ſententiam hanc reicere; nam ipſa fides donum Dei eſt, ergo eſt effectus prædeſtinationis, & gratiæ: ergo non poteſt eſſe cauſa totius effectus prædeſtinationis. Antecedens probatur à Diuo Aug. locis cit. priorem ſententiam reprobando apertiſſimis teſtimoniis ſcripturæ. Sed ſufficiat nobis auctoritas Pauli 2. Corint. cap. 3. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ex quo ſumit Aug. argumentum dicens, Prius eſt cogitare, quàm credere: ſed nõ poſſumus ſine gratia Dei cogitare quicquam conducens ad vi-

tam

tam æternam, ergo neque credere. Idem habet Chryſoſt. Homil.44. ſuper Ioan. Et Chriſtus iam dixerat, Nemo poteſt venire ad me, ideſt in me credere, niſi fuerit illi datum à patre meo; ideſt ſine gratia; quamuis etiam liberum arb. maximè concurrat. Tandem, ſiue fides ſit donum Dei, vti re vera eſt; & habetur Concil. Trident. Seſſ.6. can. 3. ſiue non: cauſa prædeſtinationis eſſe non poteſt, ergo vanum eſt, quantum ad hoc, ad ipſam confugere. Probatur antecedẽs, primò motus fidei non eſt cauſa meritoria gratiæ; ergo neque prædeſtinationis. Secundò, multi fideles reprobãtur, ergo fides præuiſa nõ poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis. Orig. opinio adeo prauitate, & hæreſi peſſundatur, vt digna non ſit reſponſione; lectoribus tamen vt ſatisfaciam, perpauca dicam. Tria ergo præcipuè aſſerebat Orig. quantum ad hanc rem. Primum vna cum Platone animas creari ante corpus, & hoc in lib. qui Periarchon inſcribitur; ſed hoc ſuperius confutatum fuit. Secundum, quòd animæ vi, & inuitæ detinentur in corporibus, tamquam in carceribus; quod nihilominus Philoſophis omnibus, atq; Theologis æqualiter repugnat; & hæc vna ratio ſufficiat in contrarium, quòd anima habet inclinationem ad corpus, quòdque diſſolutio animæ à corpore formidabilis eſt omnibus, veluti terribilium vltimũ,

quod vtique non esset, si staret eius opinio; immo omnibus esset mors appetibilis. Asserebat tertiò animas, priusquam corporibus infunderentur, peccasse, vel benefecisse; ob idque Prædestinatas, reprobatasue fuisse: in cuius dicti prima parte Theologus non est; nemo enim assereret animas, præterquam in corporibus, mereri, demererive. In secunda Paulo repugnat loquenti ad Rom. 9. de Iacob, & Esau; Cum non dum nati essent; aut aliquid boni, vel mali egissent; non ex operibus; sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Non igitur propter opera facta in altera vita alter electus, alter verò reprobatus est.

ART. QVINTVS.

An bonus usus liberi arb. prauisus à Deo sit causa prædestinationis.



IFFICILLIMA rès est, de qua agitur: & plures in ea insudarunt, multique submersi sunt; mirum igitur nemini videatur, si duobus articulis illam inuoluo. Commodi etiam gratia

tia factum eſt; ne lectionis prolixitas laborem cum moleſtia lectori afferret. Non ſufficiunt ea, quæ in præcedenti fuerunt dicta, ob nonnullorum proteruam opinionem; qui numquam intelligere voluerunt ſolam Dei voluntatem præciſam, ac totalem eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis; quare ſemper conati ſunt aliquid ex parte noſtra conſtituere, quare totalis prædeſtinationis effectus tradatur nobis. Et cum aliò nequiſſent, ad bonum vſum liberi arb. confugerunt, concauſam praedeſtinationis ipſum prædicantes. Quam ego rem ſub propoſito art. tractabo. In primis tamen ignorandum non eſt, quòd de vſu liberi arb. tripliciter loqui poſſumus; Et de triplici erit quaeſtio. Primus vſus liberi arb. eſt ille, qui dicitur naturalis, quem poteſt quis habere ſine gratia, & auxilio Dei ſupernaturali; vt cum dat elemoſinam motus tantum pietate naturali. Secundus vſus eſt, qui antecedit gratiam, licet ſit ex auxilio Dei, & dono ſupernaturali; vt motus fidei, & ſpei informis; vel etiam peccatorum dolor imperfectus, quem poteſt quis concipere ex timore vel mortis, vel inferni. Is enim, licet ſit ex auxilio Dei ſupernaturali; poteſt nihilominus eſſe abſque gratia Dei iuſtificante. Tertius vſus ille dicitur, qui ex gratia iuſtificante

eſt;

est; siue ille sit, qui concurrit in puncto iustificationis; vt perfecta contrictio, vel dilectio Dei super omnia: siue alius, qui postea temporis successu gratiam subsequitur; vt sunt omnia opera meritoria, quibus mereri possumus gratiæ augmẽtum, & tandem gloriam.

His ita positis, Prima opinio in hac materia fuit Pelagii docentis bonum vsum naturalem liberi arb. initium esse iustificationis nostræ; qui consequenter assereret etiam, esse causam nostræ prædestinationis. Contra quem sit ista conclusio. Bonus vsus naturalis liberi arb. non potest esse causa nostræ prædestinationis. Probatur, eadem est iustificationis ratio, atque prædestinationis; talis autem vsus non potest esse causa iustificationis; ergo neque prædestinationis. Est præterea de fide; quamuis enim Concilia, summique Pontifices de prædestinatione non meminerint, euidentissimè tamen primum errorem Pelagii cõfutantes, hunc etiam secundum confutarunt.

Secunda opinio quorũdam est Catholicorum asserentium posse prædestinationem referri, tamquam in causam, in hunc vsum naturalem liberi arb. non vt in meritum simpliciter, & de condigno: sed vt in meritum secundum quid, atque de congruo. Huius opinionis fuerunt, Thom. quidam de Argentina 4. sent. dist. 1. quæst. vnica:

Gabriel

Gabriel ead. dist. quæst. vnica dub. 1. Antonius Andre. 1. sent. dist. 41. quæst. 1. in secunda consideratione idem quodammodo sentire videtur. Et Ricchard. de Mediau. Et Bacco. Carmel. Omnes tamen concedentes meritum de congruo primam gratiam antecedere; inde debent etiam concedere merita hæc præuisa illo modo fuisse causam nostræ prædestinationis; non simpliciter, sed de congruo. Quia tamen apud Sanctos de hoc merito, respectu prædestinationis, nulla est facta mentio: & quia apud pias aures malè audit nomē meriti de congruo respectu primæ gratiæ, vt alibi dictum est; ideo sit secunda conclusio. Nostræ prædestinationis non potest dari causa, quæ sit meritum de congruo. Quia meritū, quantumcumque extenuetur, semper aliquam habet rationem debiti; vt habetur ex Paulo ad Rom. 4. Ei autē, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam; sed secundum debitum. Si homo igitur aliquo modo potest gratiam primam mereri, aliquo etiam modo ei debetur; vnde maxima fieret iniuria primæ gratiæ, quæ omnimode debet esse gratis, & ex mera liberalitate donantis. Secundò, meritum dicit respectum ad præmium; sed actus liberi arb. naturaliter bonus nullum dicit respectum ad finem supernaturalem; ergo non potest habere rationem meriti. Datur ergo gratia,

tia, tanquam principium bonorum operū; ideſt vt faciamus bona opera. Quòd prædeſtinatio deinde,non poſſit referri in talem vſum naturalem liberi arb.vt in cauſam,probatur. Deus aliquando vocat ad fidem homines facinoroſos, & peſſimos; alios autem mediocriter inſtitutos non vocat: non eſt ergo aſſerendum bonum vſum naturalem eſſe vllo modo prædeſtinationis cauſam.

Tertia opinio eſt, quam tenuit nonnumquam D.Aug. ſcilicet bonum vſum liberi arb.qui eſt ex auxilio Dei ſupernaturali, præcedentem gratiam poſſe cauſam eſſe prædeſtinationis. Putauit enim non opera, ſed motum fidei ſufficientem eſſe cauſam iuſtificationis, praedeſtinationisue. Adiecit quoque, Pelagio conſentiens, initium fidei ex nobis eſſe. At in melius poſtea mutauit ſententiam, vt infra videbitur. Et iam ponatur concluſio. Bonus vſus liberi arb. gratiam antecedens, quamuis ſit ex auxilio Dei ſupernaturali; non poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis; vti eſt motus fidei,vel ſpei informis. Quia per huiuſmodi motus informes gratiam antecedentes non poſſumus mereri noſtram iuſtificationem; ergo neque prædeſtinationem. Secundò, huiuſmodi motus informes gratiam antecedentes ſunt prædeſtinationis effectus; ergo non poſſunt eſſe cauſa totius effectus. Conſeq. tenet. & antecedens dupliciter probatur.

Primò,

Primò, Omnia media, quæ conferunt ad consequendum vltimum finem, sunt effectus prædestinationis: sed motus antecedentes gratiam huiusmodi sunt; ergo. Secundò, Huiusmodi motus sunt effectus gratiæ, cum ex auxilio Dei supernaturali proueniant; ergo sunt effectus praedestinationis.

Quarta opinio eorum est asserentium bonum vsum liberi arb. præuisum, concurrentem in puncto iustificationis, esse causam prædestinationis; quatenus præcedit iustificationem, seu gratiam ipsam; saltem secundum naturam. Vel clarius, dicunt contritionem, ac dilectionem Dei super omnia; vt natura præcedit iustificationem in præscientia Dei, esse causam prædestinationis. Habent hoc speciale argumentum, Deus neminem iustificat (de adultis loquendo) nisi quem viderit dispositum, ergo dispositio hæc præuisa; saltem in adultis, erit causa praedestinationis. In contrarium tamen est concl. Neque hic motus, siue sit contritionis, siue dilectionis, concurrens in puncto iustificationis; quatenus natura præcedit gratiam, potest esse causa prædestinationis. Primò sic demonstratur, Talis motus, quatenus natura præcedit gratiam, nullam habet rationem meriti; ergo neque rationem causæ. Item Actus ille, quatenus gratiam præcedit secundum natu-

ram, non est iustificationis causa, igitur neque prædestinationis: antecedens patet, si enim esset; gratia caderet sub merito, quod est hæreticum. Iterum, Actus ille, vt natura gratiam præcedit, est vltima dispositio ad gratiam, ergo pendet ex auxilio Dei supernaturali, vt optimè notat D. Tho. 1. p. q. 23. art. 5. ergo est prædestinationis effectus; ergo non potest esse causa illius. Vltimò, Illa postrema dispositio, licet sit prior gratia in genere causæ materialis; simpliciter tamen, ac in genere causæ efficientis ipsam consequitur gratiam, vt alibi docet Sanct. Thom. absolutè igitur loquendo non potest esse causa iustificationis, neque prædestinationis, nisi secundum quid, & cum additamento; puta, causa dispositiua; & causa materialis: & ita tollitur argumentum factum ab initio pro contraria opinione. Concedo enim nullum adultum Deum iustificare, nisi quem viderit dispositum; hæc tamen dispositio non est causa simpliciter, sed solum secundum quid, ac veluti condictio sine qua non.

Maior tandem insurgit difficultas, An bonus vsus liberi arb. gratiam subsequens, siue sit ille, qui concurrit in puncto iustificationis, siue alius; sit ratio, causave prædestinationis? Ad quam ponitur negatiua conclusio, quæ nonnullis antiquorum aduersatur, vt patet ex Epist. D. Prosperi, &

Hila-

Hilarii ad D. Aug. Immò & ipsi visi sunt affirmatiuam tenere. Opponitur etiam Camerario Beneuent. Verrato, nonnullisq; aliis recentioribus. Nostra tamen conclusio, quæ catholica est, probatur in primis per Apost. Rom. 9. vbi omnia opera tam antecedentia, quàm subsequentia: tam præterita, quàm futura euidentissimè excludit. Quare dicit D. Ansel. si opera futura præuisa essent electionis causa; non ex vocante, sed ex operibus futuris dixisset Paul. quia maior seruiet minori. Secundò, si opera hæc præuisa causa essent prædestinationis; facilè erat ipsi Paulo soluere quæst. arduam excitatam eodem cap. Numquid iniquitas est apud Deum? Poterat enim respondere, minimè: si hunc propter sua merita elegit, illum verò propter sua demerita reprobauit. At numquam operibus talia adscribit; immo semper ad voluntatem Dei confugit. Tertiò probatur, Elegit nos Deus, non quia eramus Sancti; sed vt essemus sancti. Ephes. 1. ergo opera hæc præuisa non sunt causa prædestinationis. Vnde hunc locum Pauli exponens Aug. in lib. de prædest. Sanc. cap. 19. inquit. Non elegit nos Deus, quia futuros esse tales præsciuit; sed vt essemus tales per electionem suæ gratiæ. Confirmatur; Si Deus homines elegit propter præuisa opera; ergo propter ipsorum fidem, ac dilectionem præuisam; ergo

nos elegit, quia nos illum eramus dilecturi; quod expresse contra id est, quod legitur 1. Ioan. 4. Non quasi nos dileximus illum, sed quia ipse prius dilexit nos. Et Ioan. 15. dicit Dominus, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; vt eatis, & fructũ adferatis. Non autem dixit; quia vidi vos fructus allaturos. Quartò, Hic bonus gratiæ vsus effectus est prædestinationis; ergo illius causa esse non potest: consequentia tenet, antecedens autem est Pauli Ephes. 2. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus; idest quæ destinauit, vt in illis ambulemus. Vbi opera gratiam subsequentia (de his enim loquitur Apost.) prædestinationi tribuit. Quintò sic, opera hæc præuisa sunt effectus gratiæ; quo nam pacto igitur possunt esse causa iustificationis? Sextò, Si bonus vsus liberi arb. gratiam consequens, esset ratio conferendi gratiam homini prædestinato, sequeretur gratiam reprobis collatam veriorem esse gratiam ea, quæ traditur electis: consequentia probatur, quia illis datur omnino gratis nullo ad ipsos habito respectu: quod tamen impium est asserere. Tandem fortissimo probatur argumento, quo D. vtitur Aug. in Epist. ad Sixt. Presbyt. 105. & de Prædest. Sanct. 12. Moritur paruulus ante omnem rationis vsum, cuius non extat opus aliquod

aliquod meritorium; vt clare patet: nihilominus per Baptiſmum, & Chriſti merita ſaluatur, ergo prædeſtinatus eſt; non propter bona opera præuiſa, quæ fieri deberent ab eo, ſed ſola Dei miſeratione, & in ſanguine Chriſti. Eadem ratio eſt etiam de adultis, ſicut ibi enim nullum adeſt impedimentum, ita neque hic. Si quis autem pertinaciter aſſereret talem puerum eſſe prædeſtinatũ Propter bonum vſum, quem habuiſſet, ſi iam ſuperuixiſſet. Ad Paulum illum dimitto 2.Corint. cap. 5: Omnes nos, inquit, manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti; vt referat vnuſquiſque, prout geſſit in corpore: ſiue bonum, ſiue malum. Non ergo pro eo, quod geſturus eſt, verum pro eo, quod geſſit. Secundò memorarem illi, impiũ eſſe aſſerere Deum remunerare, vel punire opera, quæ non fecit aliquis, erat autem facturus. Tertiò, & clarius dicerem, quòd conſtat Deum multos ex prædeſtinatis de medio ſubſtuliſſe, praui ne fierent; vt Sapient.4. Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores; raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animum eius: ergo Deus in prædeſtinatione, & reprobatione non intuetur opera, quæ facturus iam aliquis erat, ſi plures annos ſuperuixiſſet.

Aduerſatur, præterea, noſtræ veriſſimæ Concluſioni

clusioni grauissimus inter Scolasticos Henricus de Gand. quodl. 4. art. 19. & quodl. 5. art. 5. Qui substinet, bonum vsum gratiæ causam esse prædestinationis. Asserit tamen postea, & à priori sententia declinare videtur; hunc vsum, qui gratiā subsequitur, dupliciter attendi posse. Vno modo, vt à gratia est; quomodo nō potest esse causa prædestinationis: sed illius effectus. Altero verò modo, vt egreditur à libero arb. & sic est causa prædestinationis. Ideo enim Deus, dicit ipse, hos prædestinauit, non autem illos; quoniā præuidit hos esse cooperaturos, assensurosque, & non illos. Cum verò obiicitur argumentum Sanct. Thom. Scilicet, idem vsus numero est, qui prouenit à gratia, & libero arb: ergo si vsus gratiæ, vt est à gratia, est effectus prædestinationis; etiam, vt vsus liberi arb. erit prædestinationis effectus. Respondet ille negando consequentiam: licet enim idem vsus secundum rem sit à gratia, & libero arb. at secundum rationem aliquo modo est à gratia, quomodo non est à libero arb. & è conuerso; & sic talis vsus potest esse causa prædestinationis. Nititur hic doctor firmare suam sentētiam his præcipuis argumentis. Prædestinatio supponit electionē, sed electio supponit disparitatem, & inæqualitatē inter eligendos, & reprobandos, ergo supponit causam: sed ex parte nostra nulla alia excogitari

potest,

poteſt, niſi bonus, vel malus vſus liberi arb. præuiſus, ergo hic erit cauſa prædeſtinationis. Secundò, In omnibus operibus Dei reperitur iuſtitia, & miſericordia: Et habetur Pſal. 24. Vniuerſæ viæ Domini Miſericordia, & Veritas: ſed in opere prædeſtinationis reperitur miſericordia, ergo, & iuſtitia; ergo ex parte noſtra eſt cauſa, cur Deus hunc eligat, illum verò reprobet: & cur potius hunc, quàm illum eligat. Tertiò, Eadem eſt ratio reprobationis, & prædeſtinationis; ſed abuſus præuiſus liberi arb. eſt cauſa reprobationis, ergo bonus vſus præuiſus erit cauſa prædeſtinationis. Vltimò, Si Deus ſine vlla cauſa ex parte noſtra; ſed pro ſuo beneplacito ſolum hunc potius, quàm illum eligeret; eſſet profectò acceptator perſonarum, quod eſt abſurdum.

Eiſdem tamen reiicitur rationibus hæc ſententia, quibus ſuperior reiecta fuit; & his vlterius. Licet enim concedatur bonum vſum ſubſequentem gratiam ſecundum intellectum aliquo modo eſſe à libero arb. quomodo non eſt à gratia: at ſecundum rem quicquid habet à libero arb. habet etiam à gratia; ſed totum, quod eſt à gratia, eſt effectus prædeſtinationis, ergo & quod erit à libero arbit. erit effectus prædeſtinationis. Secundò, Media, quibus currimus ad vltimum finem, ſunt prædeſtinationis effectus, ſed hic bonus vſus eſt medium,

medium, quo tendimus in vltimum finem; siue consideretur, vt est à gratia, siue vt est à libero arb. ergo vtroque modo est effectus prædestinationis; ergo neutro modo potest esse causa: Tertiò, Hic bonus vsus gratiam subsequens tripliciter potest considerari; Primò, vt est à gratia solū: secundo vt est à gratia, & libero arb. simul: tertiò, vt est à libero arb. tantum. Si ergo est causa prædestinationis; vel hoc erit primo, vel secundo, vel tertio modo; non primo, vt ipse fatetur: neque secundo, cum sic etiam sit effectus prædestinationis. Neque tertio, vt probatur. Nam bonus hic vsus; vt à libero arb. fluit, est actus naturaliter bonus, ergo non potest esse causa prædestinationis. Hoc argumentum penitus hanc destruit opinionem, quod adhuc confirmatur, Bonus vsus antecedens gratiam non potest esse causa prædestinationis, quia solum est à libero arb. ergo neque bonus vsus gratiam subsequens, vt à solo libero arb. est. Vltimò, Si talis vsus esset causa prædestinationis; tunc electio Dei non solum esset ex vocante, sed ex operibus quoque; quod Paulo repugnat. Quare sententia hæc nedum falsa; cæterum erronea quoque, Scripturæq; cõtraria plerisque à sapientibus est iudicata. Commodè igitur affirmari potest cum Donys. Cisterciensi, & multis cum aliis, quòd Deus nullū prædestinet propter bonum

bonum vſum liberi arb. vt patet in paruulis in Baptiſmate decedentibus.

Eſt præterea certiſſima, & principalis cõcluſio, Prædeſtinatio ex parte primi effectus, ſiue totalis effectus nullam habet cauſam ex parte noſtra, neque ſubſequentem, neque antecedentem meritoriam, licet non repugnet quòd habeat finalem, vt iam dictum eſt. Eſt D. Aug. multis in locis, præcipuè in Epiſt. cit. ad Sixt. In lib. de prædeſt. & grat. In lib. de prædeſt. Sanct. Et in lib. de bono perſeuer. Eſt D. Anſel. ſuper Epiſt. ad Rom. 9. Magiſtri in citata diſtinct. Et Sanct. Thom. vbicumque de hac re loquitur. Eſt præterea Scoti, Durandi, Gabrielis, Greg. & omnium ferè Scolaſticorum, qui habent ineluctabile argumentum, Iuſtificationis nulla poteſt excogitari cauſa ex parte noſtra, neque antecedens, neque ſubſequẽs; ſed tantum refertur in Dei voluntatem, ergo neque praedeſtinationis. Legendus eſt vlterius Dominic. Soto ſuper Epiſt. ad Rom. 9. nec eſt relinquendus Ioan. Driedon in lib. de concor. liberi arb. & diuinae praedeſtinationis, qui hanc difficultatem egregiè tractant.

Ad argumenta Henrici Reſpondetur, Ad primum negando conſequentiam vltimam; & ratio eſt, quia electio ſupponit dilectionem, ex qua eſt diſparitas inter eligendos, & reprobandos:

K ſed

ſed hæc continetur ſub effectu prædeſtinationis. Ad ſecundum reſpondeo idem eſſe iudicium de primis effectibus gratiæ, & de primis effectibus naturæ: quare vt in his reperitur iuſtitia, non in ordine ad creaturam; ſed in ordine ad Dei bonitatem, & ſapientiam; ita etiam in illis. Ad tertiũ nego conſequentiam: nam, vt infra dicetur, in reprobatione inuenitur culpa, quæ à Deo non eſt; ſed à nobis, & ab illo, cui iuſtè debetur pœna: in prædeſtinatione autem nihil eſt, quod non ſit à Deo. Ad vltimum ſimiliter reſpondeo per negationem conſequentiæ; nam perſonarum acceptio, vt optimè notat Sanct. Thom. locum non habet in gratuitis: quare cum effectus prædeſtinationis nemini debeatur; nemini facit iniuriam, ſi eo relicto, alium eligat. Hæc ſolutio eſt D. Auguſtini ad Simplic. q. 2. Poteſt etiam retorqueri argumentum in eum hoc modo. Si enim Deus hos elegit potiuſquàm illos propter merita, & opera præuiſa; quæro modò, cur Deus vult potius hos habere hæc merita, quàm illos? Item, cur Deus efficaciter potius opitulatur his, quàm illis? Re vera non poteſt reſponderi, niſi quia Deus nemini quicquam debet; & ita ſicut illi liberant Deum ab iniuſtitia, & iniquitate; & nos ita quoque.

Quoniam omne meritum ex parte noſtra viſus ſum reiicere, quod noſtræ prædeſtinationis

cauſa

causa sit; ne quis conturbatus recedat; clamans, ergo nostra bona opera frustra sunt, cum nihil mereantur, & absque illis nos Deus prædestinauerit, & saluabimur? Aduertat quæso hic, aliud dictu esse nostra bona opera aliquid mereri in prædestinatione, aliud esse causam totalis effectus, & aliud denique illa esse necessaria ad salutem. De primis duobus adeò multa dicta sunt, vt plura non requirantur. Ad postremum dicitur, bona opera facta in mandatorum Dei obsequium, ad salutem in adultis simpliciter esse necessaria. Matth. 18. & 20. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Rom. 2. Non auditores tantum, sed factores legis iustificabũtur. Concil. Trident. Sess. 6. can. 20. Vnde Paulus, supposita diuina prædestinatione, adhuc orabat pro aliorum salute procuranda; immo exigit ipse á saluandis corde credere, lingua orare, & confiteri nomen Domini. Nec, præterea, Christus misisset Apostolos prædicare Euangelium omni creaturæ, si ex sola prædestinatione traderetur gloria; vt optimè explicat Augustinus ad Petilianum. Et super Psalm. qui fecit te sine te, non saluabit te sine te. Immo non solum mandata Dei, sed Prælatorum quoque Ecclesiæ Dei custodire oportet. Matth. 23. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: & Concil. iam cit. eod. loco. Et ratio est, quo-

niam prædestinatus Christi, & Ecclesiæ membrũ efficitur; membra autem tum caput, tum Vicarios, ac ipsorum præcepta in conformitatem obseruare debent. Quæ tamẽ præcepta nũquã poterit, nec potuit homo meritoriè seruare sine gratia prima, quam nobis Deus elargitur. Vnde, licet Gentiles seruent præcepta Decalogi, quia tamen sunt extra gratiam; nihil merentur. Noli igitur ambigere piissime lector, nec perturberis circa dicta superius in hac materia. Non enim fuerunt exclusa bona opera tamquam inania; sed dictum fuit illa mereri vltimum effectum prædestinationis, scilicet gloriam, & beatitudinem: immo sub hac conditione est nobis promissa; vt si benè vtamur gratia, & perseueremus in finem benè agendo, & omnia propter Deum, vt sint meritoria nostra opera; seruantes præcepta, vt supra dictum est. Hinc in scripturis hic vltimus effectus huiusmodi nominibus vocatur, Corona iustitiæ, Merces, Genes. 12. Esai. 40. & Matth. 5. Dicitur etiam Denarius diurnus, Brauium, Palmá certaminis, & retributio: quæ omnia solent tradi ob benè gesta. Et si copiosius habere illa cupis, non solum quæ de præcepto: sed quæ dè consilio sunt, etiam seruare conaberis: præcepta enim seruantur ex debito, Luc. 17. consilia vero ex amore, & amicitia: hoc enim pacto, faciem serenam vide-

bis

bis Domini tui; ſicut euenit ſeruo, qui præter iuſſa à Domino, alia multa præſtare conatur. Solum dictum fuit (quod neque tibi durum videri debet) totalem effectum prædeſtinationis; vt vocationẽ, primam gratiam, beatitudinem ſimul cum cæteris mediis, effectibusque; nullam habere cauſam ex parte noſtra; ſed ex mera prædeſtinantis liberalitate largiri. Si mihi fidem adhibere non vis, Paulo præſta Epheſ. 1. Qui adoptauit nos in filios per Ieſum Chriſtum ſecundum ſuum propoſitum in laudem ſuæ gratiae. Et 2. Tim. 1. Qui nos liberauit non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum gratiam. Pſal. 17. (ſi plura teſtimonia quaeris) Saluum me fecit, quoniam voluit me: & 55. Pro nihilo ſaluos facies illos. Vltimò, ſequentia mortuorum decantat, Rex tremendae Maieſtatis, qui ſaluando ſaluas gratis; ſalua me fons pietatis. Pro clariore huius rei notitia, quoniam communis Theologorũ opinio docet, opera noſtra facta in gratia eſſe meritoria vitæ aeternae; quod nec ego inficiatus ſum, vt patet; quamuis Durandus à nobis recedat quodammodo; notandum eſt primò duplex eſſe meritum; alterum propriè, & perfectè, vt eſt opus, cui ex ipſius natura, & rigore iuſtitiae nulla accedente gratia merces eſt debita, vt fuerunt opera Chriſti. Quod enim Chriſtus offerebat, tanti valoris erat, quantum pro illo ſibi red-

reddebatur. Alterum est non adeò perfectè; verum suppositâ gratia, ac Dei ordinatione, inter opera nostra, & beatitudinem promissam reperitur ratio iustitiæ, & æqualitatis. Aequalitas tamē duplex est, vel absoluta, quæ obseruatur in contractibus emptionis, venditionis, & mutui. Vbi ea desideratur æqualitas, vt quantum quis accepit, tantum reddat; & è conuersò. Secunda est proportionis, in qua non optatur vt aliquis tantumdem reddat, quantum accepit; sed solum quantū potest, vt inter parentes, & filios. Nam quamuis filius numquam possit parentibus æquiualens reddere; tamen dicimus æquum, & iustum esse filium à patre educari, & in hæreditatem succedere. Sic inter nos, & Deum non est optanda prior ratio æqualitatis, sed secunda. Semel enim per gratiā & fidem renati, ac Dei filii effecti ipsius legem obobseruantes, iustum est vt hæredes etiam efficiamur, & nostris operibus tamquam merces reddatur vita æterna. Quod affirmat Apost. Rom. 8. Accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro; quo sumus filii Dei secundū adoptionem. Si igitur filii sumus Deo obtemperantes, iustè possumus promereri apud ipsum. Secundò notandum est cum D. Thom. Ricc. & aliis 2. sent. dist. 26. opus nostrum variis modis confide-

ſiderari; primò, vt ortum habet à libero arb. quomodo nullam habet dignitatem, vt illi conferatur vita aeterna. Secundò, vt motum eſt à Spiritu Sanct. vti aliquam habet dignitatem ad vitã æternam promerendam. Tertiò quatenus ortum habet à gratia, per quam accepimus eſſe diuinum, & ſupernaturale, & adoptamur in filios Dei, & ex cõſequenti ius habemus in hæreditatem patris. Durandus 2. ſent. diſt. 26. quaeſt. 2. contrariam partem defendit; nempe opera facta in gratia de condigno non eſſe propriè meritoria vitæ æternæ. Pro qua tria potiſſimè argumenta proponit. Primum, Vbi æqualitas non eſt inter merentem, mercedem, quam meretur, & eum, apud quem meretur; non reperitur propriè meritum de condigno: ſed inter Deum, vitam aeternam, & nos non poteſt eſſe aequalitas iuſtitiae; ergo, & c. Hoc argumentum non conuincit; quoniam, vt opera noſtra de condigno ſint vitae aeternae meritoria, nõ requiritur aequalitas abſoluta inter opera noſtra, & vitam aeternam: ſed ſufficit aequalitas, vt inter patrem, & filium, quam ius paternum Ariſt. vocat; vbi ſat eſt filium ea praeſtare patri obſequia, quae poteſt; cum aequiualens reddere nequeat. Secundò dicit, nihil poſſe nos Deo reddere, quod poſſit aequari aeternae vitae; ergo. Subiungit tertiò, quòd vbi reperitur meritũ de condigno propriè,

priè, si ille, apud quem homo meretur, præmium non reddat, iniustus erit. At si Deus opera nostra non præmiaret, non esset iniustus; ergo. Dicitur ad hæc, quòd si nobis Deus beatitudinem non cō cederet in mercedem bonorum operum, sibi ipsi debitor esset. Quamuis enim non possimus ope ribus nostris Deum debitorem reddere; tamen ipse pollicendo, seipsum debitorem constituit. Suæ enim promissioni debitor est, quam irritam non faciet. Fidelis enim est, vt affirmat Apost. ad Tim. vlt. & ideo argumenta non conuincunt. Grauius errarunt in hac materia Luterani, sed non est hic locus contra eos differendi. Memorare tamen nō deero optimo Christi cultori doctrinam eius Matth. 19. vbi pollicetur Petro, & aliis mandata seruantibus, & vendentibns bona sua, vt largiantur pauperibus; nō solum bona accidentalia emanantia ab essentiali beatitudine; verum etiam ipsam vitam æternam. Et quamuis fatendum sit beatitudinem debitam esse promissione: verum promissa fuit laborantibus, & exercentibus opera liberi arb. cooperante Dei gratia. Ecclesiast. 16. & ad Hebræos 13. Et quamuis etiam per gratiā primam filii, & hæredes Dei efficiamur, & ius ad regnum cœleste acquiramus; nihil tamen prohibet, quin etiam per opera gratiam subsequentia mereamur vitam æternam; tum etiam augmentum ipsius

ipſius gratiæ. Vnde dicebat Aug. gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Ideo Eccleſia obnixè Deum rogat pro augmento gratiæ, & aliarum virtutum; & Apoſt. petierunt à Chriſto augmentum fidei dicentes, Domine adauge nobis fidem. Iterũ cum dicit Regius Proph. Coronat te in miſericordia; non ideo excludit bona opera. Quare dicendũ eſt cum Aug. de correct. & grat. cap. 3. Miſericordiã nobis largitur Deus, cum nos ad bene operandum mouet, tum etiam cum nobiſcũ cooperatur perſeuerantiã tribuens. Et poſtremò, cum operibus noſtris tam copioſam mercedem retribuet. Vult dicere Aug. in præmio iuſtorum concurrere ſimul iuſtitiam cum miſericordia. Adeſt iuſtitia, cũ noſtris operibus præmiũ promiſſum præſtat Deus. Miſericordia, cũ vltra condignũ præmiet. Rei difficultas prolixũ me fecit; ideo ignoſcatur mihi, & vlterius non progrediamur.

ART. SEXTVS.

An Prædeſtinatio neceſsitatem imponat prædeſtinatis?



VONIAM ſæpe dictum eſt, ſolam Dei voluntatem per ſe cauſam eſſe ſufficientem, quare totalis prædeſtinationis effectus tradatur alicui.

Possset iã nõ irrationabiliter quis obiicere; quòd, hac manente conclusione, ac illa vulgatissima Pauli, Deus vult omnes homines saluos fieri; omnes homines salutem acquirant; quod nihilominus loco suo confutabitur. Sequeretur etiam vi hominem saluari, ac eius libertatem arbitrii destrui; cum voluntati Diuinæ nemo valeat resistere; secus enim quicquid Deus vellet, agere non posset; quod absurdissimum est asserere. In ambiguo igitur ne quid remaneat, operæpretiũ mihi visum est, hunc articulum adiicere, quem Theologorũ nonnulli sub illis verbis proponunt, An prædestinatus necessariò saluetur? sub quibus & ipse quoque inferius tractabo; alio tamen habito respectu, atque hoc in loco. Hic enim quatenus talis necessitas actus Diuinæ voluntatis respicit, ibi vt ipsum prædestinatum intuetur: & quæ hic dicuntur, amplius ibi non apponentur. Hoc præcipuũ conabor; vt ostendam inlæsum, intactumque remanere liberum hominis arb. vna cum prædestinationis efficacia. Cum autem prædestinatio, vt actus est prædestinantis, duo principaliter importet; præscientiam, & voluntatẽ efficacem ipsius Dei: priori in loco videbimus, An præscientia Dei necessitatem imponat rebus præscitis? Postea, An voluntas res volitas aliquo pacto necessitet? Denique Sole clarius ostendemus vna cum

prædestinatione, vel gratia, commodè libertatem arbitrii commorari.

Ad primum; Ignorandum non est, idem esse quærere, An Dei præscientia necessitatem imponat rebus præscitis? & An scientia Dei necessitatem imponat rebus futuris. Præscientia namque, futurorum est scientia; vt in primo art. Sensus ergo est, An res necessariò eueniant, ob id, quòd Deus antea sciuerat illas futuras. Sciendum prætereà; est, quòd de rebus, quas Deus producit ad extra, dupliciter loqui valemus; vel de illis, quæ immediatè producuntur ab ipso: vel de illis, quæ ab eodem per causas secundas.

His ita expositis, quantū ad hanc partem, duae ponuntur Conclusiones. Prima est, Scientia Dei non imponit necessitatem rebus, quæ proximè, & immediatè producuntur ab ipso. Nam rerum, quas Deus producit ad extra, non solū eius scientia debet dici causa; cum voluntas etiā maximè concurrat; quodcumque autem Deus extra seipsum vult, liberè vult; non enim necessariò operatur ad extra, sed contingenter, secundum Theologos, & veritatem: ergo tales res non ideo necessariò eueniunt, quia Deus illas euenturas praesciuit.

Secunda Concl. Rebus, quæ à Deo procedūt mediis causis secundis, scientia Dei necessitatem

non imponit. Omnis enim effectus à diuersis cau sis procedens; quarum altera est contingens, deficereq; potens; & effectus contingens erit, atque deficere poterit: quare non necessariò eueniet, vt omnes concedunt, Arist. etiam pluribus in locis, præcipuè Phys. 2. At effectus, qui mediis secundis causis à Deo procedunt, ita sese habent; igitur contingenter eueniunt. Non est igitur, vt dicamus scientiam Dei sub ratione, qua causa, necessitatem imponere rebus scitis. Difficultas est; quoniam Dei scientia dupliciter potest attendi; vel vt causa, ac iam de ipsa loquuti sumus: vel vt cognitio, & quaeritur modò, An rebus cognitis necessitatem imponat?

Pro cuius explanatione aduertendum est primò, Contingentiam, & necessitatem duobus modis accipi. Vno modo, vt differentiæ sunt substantiales, ac intrinsecè omne ens diuidentes. Omne enim ens vel contingens, vel necessarium est. Altero modo, vt sunt causarum differentiae in suos effectus causando. Sunt enim quaedam causae necessariò determinatum, ac certum effectum causantes; ita, vt in actu positæ non queant illum non causare. Quaedam verò contingenter sunt causantes; ita vt in causando ad vtramque partem valeant determinari, itaque

que contingentes causæ nominantur. Ex his con stat, effectum duobus modis posse dici contingentem; altero, quoad esse suum, quod est corruptibile, ac non esse potens. Altero, in ordine ad causam suam; quia contingenter est causatus. Primo modo; vt veterum Philosophorum omittamus opiniones; omnia, praeter Deum, sunt contingentia; idque, vel ab intrinseco, quia claudunt in se aliquod principium non essendi; vt generabilia, & corruptibilia omnia, quæ corrumpuntur ex materia priuatione affecta, quae principium est non essendi. Vel sunt contingentia ab extrinseco; vt Cœlestia corpora, & ipsi Angeli. Hæc enim entia, quamuis nihil includant intrinsecè, quo aliquando desinere debeant; cum tamen à se non habeant esse, sed ab alio; ab extrinseco principium habent non essendi. Nisi enim à Deo conseruarentur, esse minimè possent. Singula igitur, praeter Deum, sunt primo modo contingentia. Secundo verò modo multa sunt in rerum natura necessaria; multa quoque contingentia. Illa necessaria, quae ab aliqua causa necessariò producuntur; quomodo motus Cœli necessarius est. Cœlum namque non potest non moueri ab Intelligentia sua. Sed illa contingentia, quae producuntur à causis contingenter agentibus;
idest

idest à causis, quæ in agendo possunt sese ad oppositum determinare, vel ex libertate sua, vel propter impedimentum aliquod; quia defectibiles sunt; quo pacto me modò sedere contingens est: priusquam enim sederem, potui non sedere, ac modò non sedere possum. Ex quibus infertur, multa esse primo modo contingentia, quæ secundo modo necessaria sunt. Nam motus Cœli est contingens primo modo, qui secundo modo necessarius est. Similiter, omnia contingentia secundo modo esse etiam contingentia primo modo. Nam si aliquid contingenter causatur ab aliquo, ergo potuit non causari; ergo potuit non esse: quod est contingens primo modo. Infertur tertiò, omne contingens primo modo esse etiam contingens secundo modo in ordine ad causam primam. Nam, cum omne tale contingens à se non habeat esse; habebit illud à prima causa: quæ, vt fides cum veritate docet, nihil ad extra necessariò producit, sed omnia liberè. Scotus 1. sent. dist. 8. quæst. 5. idem ratione probat hoc modo, Illud, quod summè necessarium est; non potest non esse propter non existentiam cuiuscumque alterius à se; Deus est huiusmodi; ergo, &c. patet, quia si haberet necessariã habitudinẽ ad causandum aliquid, necessariò dependeret ad istud; & ad istud non esse, sequeretur Deũ nõ esse, quod
est

est impossibile; ergo non habet necessariam habitudinem ad aliquod causandū. Vlterius, Aliquid contingenter est in entibus; ergo prima causa contingenter causat. Antecedens clarum est; consequentia probatur. Nam secunda causa non agit, nisi virtute primæ. Si ergo prima causat necessariò, sequitur, quòd omnis causa secunda necessariò agat, quod falsissimū est apud omnes. Vnde patet quòd si aliquid est necessarium secundo modo, illud est necessarium in ordine ad causas secundas, non autem ad primam. Nec est vltimò ignorandum, quòd tres sunt causæ, à quibus oritur contingentia: Efficiens, materia, & finis. Liberum arbitrium est causa efficiens contingentiæ in actionibus humanis. Materia in rebus naturalibus, quia ipsa est indifferens ad recipiendas varias formas; & ex defectu, vel eius superabuntia fiunt monstra. Causa verò finalis est Vniuersi perfectio; non enim cognosceretur præstantia rerum necessariarum, & æternarum; nisi cognoscerentur etiam errores contingentium. Hinc apparet etiā sapientia, & prouidentia Dei erga creaturas; quod non paruam dicit vniuersi perfectionem, cum à tali rectore gubernetur. Hæc omnia ob negotii facilitatem, ac scientiæ plenitudinem adnotaui; solummodò enim quæstio est, cæteris omissis, An Dei cognitio necessitatem imponat causis,

causis, quæ contingenter agunt; ita, vt illas ad effectus necessarios cogat producendos? Vbi est vlterius aduertendum circa verbum illud, necessitatem; quoniam bifariam sumitur necessarium. Est enim absolutè necessarium, quod non potest non euenire; est aliud ex suppositione, quod simpliciter potest non euenire: adiuncto tamen, & posito aliquo, non potest non euenire: qua ratione dicebat Arist. 1. de Interpret. cap. vlt. Omne, quod est, quando est, necesse est esse. Vnde Socratem currere liberum est, ac simpliciter contingens; si tamen constituamus illum currere, necessariò currit. Nec vlterius latere nos debet, eandem habere Deum rationem in causando res, ac in modo cognoscendi: nam sicuti ea ratione, qua causa est vniuersalis, nihil subterfugere potest eius potentiam; ita, quatenus cognoscens est: cum res omnes futuras, vti præsentes intueatur, ac earum causas perfectissimè intelligat vna cum circumstantiis. Hinc fit, vt in iudicando decipi non possit: quamuis res vniuersæ suis in genuinis inclinationibus relictæ sint, & contingenter eueniant; nec ob id, quòd à Deo præcognitæ sint, necessariò fient. Nam veluti nos rem præsentem liberam, & contingentem cognoscimus infallibili cognitione; Immo dicebat Boet. lib. 5. de consolatione philosophica prosa vlt. Oculus non fal-

fallitur si videat hominem currere, & videat Solem oriri, & tamen homo currit contingenter, & Sol oritur necessariò. Ita Diuinus intellectus res futuras, & nobis contingentes infallibiliter præuidit, & ab æterno intellexit; absque eo, quòd illis necessitatem aliquam imponat. Sic enim profectò scit res euenturas, sicuti præcisè euenient; cum quo tamen benè stat, vt scientia Dei non sit contingens, quamuis sciat res contingenter euenturas. Nam non omnis scientia est contingens, quæ scit aliquid contingenter fore. Scientia ergo Dei est necessaria, licet sit de cõtingenti; quia Dei scientia est ipsemet Deus.

Colligitur ex iam dictis indubitabilis Concl. quæ ex obiectorum solutione clarior, ac firmior euadet. Rebus à causa libera procedẽtibus Deus præscientia sua nullam imponit necessitatem. Nã si Dei præscientia necessitatem inferret huiusmodi rebus euenturis; tunc quicquid Deus præscit, necessariò eueniet: cũ omnia autem peccata præsciat, omnia peccata necessariò euenient: sed hoc non potest esse, nisi quia sua præscientia necessitat singulos ad peccandum; ergo Deus necessitaret ad peccandum, cum sua præscientia sit ipsemet Deus: & tunc Deus esset maximus peccatorum; quia nullus esset peccator, nisi per eum in esse peccati constitutus, quæ maxima cum ab-

surditate dicuntur. Quare nec asserendum est, Diuinam præscientiam rebus futuris necessitatē imponere. Præterea, Cognitio Dei de re, nō necessitat illam ad fore; ergo nec præscientia. Patet consequentia, quia præscientia non est, nisi cognitio. Antecedens patet, quia tunc omnia, quæ Deus cognosceret, constitueret in esse; & sic omnia possibilia fierent: quia omnia nouit Deus possibilia: & deueniremus ad hoc, quòd Deus esset agens naturale. At manifestum est, solam cognitionem non posse necessitatem inferre rebus, nisi accedente voluntate, quæ de multis, quorum est præscientia, non accedit. Nuda enim cognitio, vel præcognitio rei, non infert ei necessitatē eueniendi.

In contrarium tamen, primum est argumētum. Omne scitum à Deo necessariò eueniet, nullum futurum contingens necessariò eueniet, per te; ergo nullum futurū contingens scitum est à Deo. Min. est clara, mai. prob. Nam si aliquod scitum à Deo potest non euenire; illud autem est possibile, per Arist. quo posito necessariò sequitur effectus: ponatur igitur non euenire; sequitur quòd Deus in intelligendo decipiatur: quod infandum profectò est. Respondetur primò, negando mai. Nam non omne scitum à Deo necessariò euenit; cum ita eueniat vnumquodque, vt Deus illud

euen-

euentorum cognouit: at cum intellexerit quædã liberè, & contingenter euentura, & alia necessariò: non sequitur, quòd omnia scita à Deo necessariò fiant. Potest igitur retorqueri illa maior; vt oppositum potius probet. Nam si res euentura est necessariò, ac præuisa est; præuisa tamen est, quòd contingenter eueniet; ergo contingenter eueniet necessariò; idest, impossibile est aliter euenire, quàm contingenter. Sed intelligendum est in sensu composito, non autem diuiso; idest non de se, sed supposita præscientia. Et ideo ad probationem, vbi dicitur; scitum à Deo potest non euenire; ponamus illud euenire, &c. Dico, quòd quamuis possibile sit simpliciter non euenire: tamen stante suppositione præscientiæ Diuinæ, illud non poterit non euenire. Secundò sic arguitur, Omnis conditionalis, cuius antecedens est necessarium, & consequens necessarium erit: sed hæc est vera conditionalis; Si Deus præsciuit à fore: à, erit. Antecedens est necessarium; ergo & consequens; ergo præscientia Dei imponit rebus necessitatem. Huic argumento plures sunt modi respondendi, quos omnes ego non referam, cum in superfluis non sit immorandum. Eam tantum responsionem tradam, quæ mihi probabilior videtur, & fortè ad mentem D. Thom. Dico igitur, quòd eodem modo attendenda est necessitas

consequentis huius conditionalis; quomodo cõsideratur necessitas antecedentis. Vnde quòd Deus præsciuerit Antichristum fore, non est necessariũ absolutè; quia potuit Deus præscire Antichristum non fore. Est enim scientia Dei causa ipsarum rerum adiuncta voluntate, quæ vult liberè quæcumque vult; potuit ergo velle Antichristum non fore: quo constituto, Deus non præsciuisset Antichristum fore. Ac proinde consequẽs, ergo Antichristus erit, non erit simpliciter necessarium, immo simpliciter contingens; necessariũ verò supposita diuina præscientia. Nec me fugit D. Thom. differentiam insinuare has inter duas propositiones, Deus sciuit, & Deus scit hoc fore; quantum ad necessitatem: nihilominus, cum magni non referat, de his disserere omitto. Vnum non prætermittam ob clariorem huius negotii determinationem; & habetur ex Magno Syriano, quòd non decet eo modo nos de rebus iudicium facere, quomodo ille sunt à Deo cognitæ. Non enim valet, Deus cognoscit necessariò omnes res, ergo omnes res necessariò sunt: quoniam valeret etiam, Deus cognoscit omnes immaterialiter, ergo omnes res sunt in materiales. Item cognitio Dei non variatur, ergo neque res. Sed constat has omnes illationes esse falsas, sic & illa falsa erit.

Iam

Iam visum est præscientiã Dei nullam imponere necessitatẽ rebus præscitis, neq; per consequẽs prædestinatis: videamus modo, An Dei voluntas aliquam imponat necessitatem rebus volitis, prædestinatisve? Quod est secundum discutiendum à nobis.

Est prima opinio, quam multi colligunt ex D. Paulo ad Rom. 11. Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. Iterum, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit: idest, potest ne Deus reprobare Iudæos, quos semel in mente sua saluandos constituit? Eandem sententiam visus fuit habere Ambros. de voc. gent. Si ergo, inquit, nec possibile ista non fieri; quia nec mutabile cõsilium Dei, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio. Omnes illi, de quibus hæc dicta sunt, sine cuiusquam exceptione saluabuntur.

Sed hæc deficit in multis, in duobus potissimè; in examinatione Diuinæ voluntatis secundum se; ac etiam quoad nos, quorum vtrumque declaratur. Et quoad primum notari debet, ex omnium Theologorum sententia, præcipuè D. Thom. 1. sent. dist. 39. quæst. 1. art. 1. & dist. 44. q. 1. art. 4. Et Scoti 1. sent. dist. 40. quòd voluntas Dei, si secundum se consideretur, numquàm ita determinata est ad aliquod volendum, vt actus ille in præteritum transeat: sed semper est in egrediendo.

Neque

Neque dicendum est, ita Deum illud voluisse, vt quasi non possit non voluisse; sicut nobis euenit, qui ita volumus aliquid, vt illud non voluisse amplius non valeamus. Immo sicut voluntas nostra priusquã aliquid actu velit, indeterminata est ad illud volendum, & non volendum; ita, inquiunt, diuina voluntas semper est indeterminata dum actu vult. Ita quòd, dum vult aliquid, valet oppositum: & hoc est, quod dicunt, illum actum esse semper quasi in egrediendo. Tunc autem determinata dicitur voluntas Dei, cùm res ipsa, quam velle dicitur, actu iam est, atq; determinata; sicut dicitur voluisse creare mundum, quia ipsum iam effectum videmus. Cuius tandem voluntatis hãc designant rationem, quia volitio Dei vnum habet æternitatis instans inuariabile, in quo vult quicquid vult. Quare si in illo instanti actus eius voluntatis in præteritum transiret; indicaret ratione necessarii, quomodo Deus semper voluisset, ac necessariò quicquid voluit, & vult, quod absurdum profectò est. Hinc concludit Scotus, idem esse Deum prædestinare, prædestinasse, & prædestinaturum esse: ac vnum, velut aliud esse contingens; quia vnum est nunc æternitatis, mensurans illum actum: quod nunc, siue instans, non est præsens, nec præteritum, nec futurum; his tamen omnibus coexistens. Sic itaque putant sanè rationem reddi,

di, quare Diuina voluntas necessitatem rebus volitis non inducat; quomodoque cum voluntate de salute prædestinati stet eius contingentia, & arbitrii libertas. Inquiunt enim, sic Deus Socratem prædestinauit, vt adhuc prædestinet. Quare, cũ non transeat in præteritum ille actus, sed adhuc quasi in egrediendo permaneat; nullam illi necessitatem imponit. Errarunt igitur primò, qui superiorem opinionem substinuerunt, quoniam determinarunt Diuinam voluntatem ad rem futuram; & actus illius transire in præteritum. Errarunt ergo tales, principium petentes. Cum enim quæritur, quare Socrates infallibiliter saluabitur, cum sit praedestinatus? Respondent, quoniam voluntas Dei est immutabilis. Supponunt, quòd voluntas Dei fuerit de ipso saluando, eamquè reuocare non posse; quod nihilominus probandum est. Videndum est enim, an Deus sic eius voluerit salutem, quasi iste actus in præteritum transierit; cum certò pronunciari hoc nõ possit, nisi postquàm videmus illum de facto saluatum esse. Nos autem non loquimur de facto, de ipso Deo, & de actionibus voluntatis eius, nisi secundum nostrũ intelligendi modum; ac multoties literæ sacræ loquuntur, vt illud est; quos præsciuit, & prædestinauit, vocauit, &c. Errarunt secundò, quia non considerarunt, quòd quamuis diuina voluntas in

se sit inuariabilis, ad hunc sensum; quòd cum ali quid semel voluit, in eo perpetuò manet: tamen in ordine ad nos mutationem admittit, prout variè affecti sumus, vt illud præcipuum est; Pœnitet me fecisse hominem. Et pœnitet me, quòd constituerim eum Regem super Israel. Similiter, & memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ. Nunc ad rem nostram redeundo; quia non satis clarum est ex superius ad mentem Scolasticorum, quomodo voluntas Diuina, & consequenter prædestinatio nō imponat necessitatem prædestinatis; alia conabor adducere, ne quis dubius remaneat. Primò tamē videndū est, quid voluntas Dei sit, & quotuplex; vt inde, quod quærimus, aurire valeamus. Ansel. de voluntate Dei, ipsam sic diffinit in communi, & ab effectu. Est quicquid fit, vt fieri inuenitur in creaturis. Multipliciter postea diuiditur. Vno modo sic, vel enim prædestinatos respicit, vel reprobatos; vt prædestinatos, sic ab eodem describitur. Est quicquid in nobis misericorditer Deus operatur, nos ab errore reuocādo, vel piè iustitiæ confirmando. Vt autem reprobatos, Est pœna, & reprobatio quorundam Dei occulta districtione facta iustitiæ; de qua tamen alibi. Patet iam, voluntate, qua Deus prædestinatos respicit, piè, misericorditerque cum illis agere; pietas autem,

& mi-

& misericordia maximam supponũt charitatem, & dilectionem. Quomodo ergo simul stabunt dilectio, & violentia? Quos enim diligimus, charosq; habemus, nullam illis profectò vim inferimus. Et si quis diceret, fateor quòd illis, quos maximè diligimus, per se, & ex primaria intentione nullam inferimus violentiam; si illos tamen aspicimus in perditionem profecturos, ne amictamus, vi etiam aliqua afficimus, vt inter necessarios, praesertim inter parentes, ac filios contingere solet: qui natos suos, zelo deducti, à perdita vita vt reuocent, etiam verberibus plerumquè afficiunt. Haec obiectio construit potius, quàm destruat libertatem arbitrii. Ad quid enim opus essent minae, plagaequè; si filius ad alteram tantum partem determinatus naturaliter esset? Cum tamen ad bonum, simul & ad malum habeat libertatem; profiguae sunt illi minae, verberationesq;. Sic itaq; Deus inspiratione sua tangit cor hominis, & intellectũ illuminat, vt à perditione se reuocet, & benè vtatur libertate arbitrii. Hinc per Isai. 1. Quiescite agere peruersè, discite benefacere. Et Psal. 36. Declina à malo, & fac bonum. Ephes. 5. Surge qui dormis, & illuminabit te Christus; & hoc nulli sanè denegat. Parat deinde media proportionata ad salutẽ, quae omnia dilectionis sunt munera, non autem coactionis. Si tamen aliquãdo

do flagella parat, & angustias; vel ad exercitium hoc facit, vt in sanctis euenit; quò magis in altera vita mereantur, & exemplum sumatur à Iob: vel vt mentem nostram excitet; ne gratiis ab ipso elargitis abutamur; quæ singula admonitiones, & allectiones potius, quàm violentiæ sunt. Vt clarius hoc nobis appareat, prædestinationis effectus inspiciamus, quorum primus, ex Paulo ad Rom. 8. vocatio est, quæ per Concil. Tridet. Sess. 6. can. 6. & 4. nullam imponit necessitatem prædestinatis; potest enim illi, si vult, homo resistere; aliàs vbi vellet, peccare non posset: quod falsum est; nullam igitur vocatio, neque prædestinatio necessitatem imponit prædestinatis. Hic tamen non omittam, quòd licet prædestinatus possit resistere vocationi, siue inspirationi diuinæ; tamen mens diuina de eo saluando non potest impediri, tum quia Deus omnia suauiter trahit quò vult, nullã inferendo vim; sed alliciendo, & suauiter disponendo. Et hoc modo facit, vt corda hominũ efficienter se determinent ad obediendũ diuinæ inspirationi; tum etiam quia Deus ab æterno præsciuit, quòd prædestinatus aliquãdo dissentiet vocationi, sed tamen reuertetur, & illam accipiet, atque saluabitur. Et vt clarius hæc intelligantur, adnotabo etiam non paruum esse discrimen inter mutari, violentari, & cogi. Illud cogitur, quod opera-

operatur contra suã naturalẽ affectionẽ;vt si graue sursum ascendat, & leue deferatur. Illud violentatur, quod ab extrinseco agente patitur, ipsumque passum actione illius agentis remittitur. Illud tandem mutari dicitur, quod subiectum est temporis successioni diuersarum operationum; vt cum ex nolente fit volens, & è conuersò. Dico modò, quòd licet Deus inspiratione sua sancta suauiter immutet prædestinati voluntatem, & hoc sua bonitate, ac miseratione; numquam tamen cogit, seu vim aliquam illi infert. Est præterea gratia, prædestinationis maximus effectus: eam volens homo, & faciens quod in se est accipit; quòd autem nolens accipiat, nec amens diceret, vt ait Ansel. in lib. de concor. Voluntariè postea recepta quantum faueat libero arb. habetur ex scriptura, quæ comparat eam aliquandò baculo, quo vtitur languidus in itinere. Genes. 23 In baculo meo transiui Iordanem istum. Aliquandò armaturis, quibus defendimur. Ephes. 6. Induite vos armatura Dei Dionys. in lib. de Diuin. nomin. assimilat gratiã catenæ aureæ, qua nosmetipsos ad Deũ trahimus: Assimilat postea funi nautico lapidi in littore alligato, cui nos innitentes toto corporis nixu simul cum naue ad littus trahimus. Valet etiam assimilari porrecto illi funiculo in puteũ elapso, quem si volens arripiat, liberari potest.

Quis est iam non concedens prædestinationem arb.lib.maximè opitulari?Immo ex Paulo Philip. 8.nedum tradit posse velle,ac facerè, sed etiã velle,ipsumque benè operari,contra Pelag.Hinc idẽ Apost. Deus est,qui operatur velle,& operari pro bona voluntate. Idem in Conc. Mileuit.fuit comprobatum. Potest igitur affirmari singula bona opera esse in nobis dona Dei per gratiam operantis, non in nobis otiosis, sed operantibus ex adiutorio ipsius facientis nos facere, ac operari libera, & spontanea voluntate nostra. Et ideo August. in lib. sent. Prosp. Nemo inuitus benefacit. Et quamuis nequeat homo sine aliqua gratia in Deum de se credere, ac praedicato Euangelio (contra Vitalem Chartaginensem) illa tamen gratia liberum arb. ad credendum non cogit. Inde Christus ad Iudæos Ioan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Vnde constat, credere opus esse Dei simul, atque nostrum, qui illud operamur. Per gratiam igitur loco, & tempore Deus vocat, pulsat, &adiuuat incredulos, vt libera voluntate credant. Insuper,vbi ad aliquem effectum concurrunt causa remota, quamuis principalis: & proxima, tunc effectus à proxima denominatur. Praedestinationis autem proxima est lib. arb. contingens profectò; remota (etsi principalis)

palis) propositum Diuinum, igitur praedestinatio contingens est.

Ad Pauli dictum in principio pro ratione dubitandi, & si multas patitur expositiones, vt in sequenti; tamen hic dicam, cum Ansel. de volunt. sensum illius esse, quòd Deus neminem damnari cogit. Cum postea dicitur, Voluntati Diui. nemo resistere valet. Dicitur duplicem esse voluntatem; absolutam, vel agentem, quæ cum scientia conuertitur, & huic resisti nequit, vt Psalm. 113. Omnia, quaecumque voluit, fecit. Vel approbantem, & conditionatam, quæ sub conditione vult. Vnde omnes homines vult saluos fieri; dummodo ipsi velint, & bene faciant. Si reluctari velint; vtique valent, vt dictum est. Iterum si quis per Ioan. opponeret, Qui ex Deo natus est, idest praedestinatus; peccatum non facit, immo peccare non potest, vt ipse subdit; ergo prædestinatio tollit lib. arb. Dicitur hunc esse sensum, Non potest esse, vt qui secundum æternam Dei prædestinationem electus est, in mortali peccato moriatur; propter Dei immutabilitatē. Ita dixit, vt subiecti cū prædicato ostēderet incōpossibilitatē. Similiter, vbi dicimus, dormiens ambulare nō potest; cū fieri nequeat, dormiēs vt ambulet. Insuper, prædest. & reprob. passiones sunt inseparabiles, prædestinatus igitur necessariò saluabitur. Antecedens

tecedens non tenet, cum prædeſtinatio, vnde quis prædeſtinatus nuncupatur; vt actus eſt in mente Dei, vtque eſt exequutio actiua; eſt forma, non in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante; vt res ſcita à ſcientia in ſciente dicitur. Eſt vtique in prædeſtinato exequutiuè, paſſiueque; vt vocationem ſonat, iuſtificationem, & glorificationem. Nullam ergo neceſſitatem imponit. Sed vlterius, prædeſt. eſt æterna; conceditur: eſt immutabilis, & neceſſaria; omnia conceduntur: inde tamen nō ſequitur, hominem coactè ſaluari; voluit enim Deus ab æterno prædeſtinatum contingenter ſaluari: vnde ſumendam arbitror rationem, cur mutatio omnis, & poſſibilitas, quæ in prædeſtinatione eſt; ſe teneat ex parte prædeſtinati, non prædeſtinantis. Tandem eſt arg. ex Gloſ. ſup. 9. ad Rom. Habetur ibi, quod aliqui ſunt, quibus quaſi coactis, vt Paulo, Deus infert gratiam ſuam. Pro cuius ſolutione dicendum eſt cum philoſ. 3. Ethic. c. 1. quædam eſſe ſimpliciter voluntaria, quædam inuoluntaria, quædam mixta, vti proiicere merces in mare, ne contingat naufragium. Eſt enim voluntarium hoc, quatenus nautae, vt ſaluentur, vltrò merces proiiciunt: eſt præterea inuoluntarium quodammodo, quatenus eis diſplicet proprias amittere res. Etſi tamen hæc actio mixta eſt, voluntaria potius, quàm inuoluntaria

taria eſt dicenda; cum de voluntario plus habeat, quàm de inuoluntario, vt ibidem. Quamuis igitur in Pau. conuerſione coactioni quid ſimile fuerit, quia timore ductus credidit; nulla tamen fuit ibi coactio; cum caetera quis poſſit nolens: at fideliter credere, non niſi maximè volens. Quid enim eſt credere, niſi cum voluntate aſſentire? Firmiter ergo per haec, & alia, quae dici poſſent; tenendum eſt, praedeſtinationem nullam inferre vim praedeſtinatis.

ART. SEPTIMVS.

An ſoli homines; & an omnes pradeſtinati ſint.


ACTENVS de Agente, ipſumque concernentibus; iam de materia; cum agens in actu, circa aliquod agat. Et primò, an ſoli homines. Poſtea, an omnes, aliquiue ſint praedeſtinati. Ad 1: ſimpliciter dicit Mag. praedeſt. eſſe de hominibus ſaluandis. Cuius dictum ſimpliciter ſumptum ſtare non poteſt, videtur enim à praedeſtinationis effectibus, vt à gratia, & gloria Angelos excludere. Bonau. pro Mag. diſtinguit praedeſt. altero modo pro boni praeparatione;

vti hominibus, Angelis, & Christo conuenit. Altero, vt etiam liberationem à malo includit, quatenus dicitur miserendi propositum, & sic hominibus solum. Altius D.Thom. vbi dicit cum Arist. 5. Phys.t. c.48. & t. c.4. & de anim. 2. t. c.49. motum sumere speciem à termino ad quem. Nec refert, dicit ipse, qui dealbatur, an fuerit niger, vel rubeus. Quare nec refert, an prædestinatus miser, felixve fuerit. Cum igitur Angeli quoque vltra naturæ suæ metam transmittantur per Dei gratiã, qua beatificantur; etsi numquam fuerunt miseri, vt ob delictum nos sumus: rectè prædestinati dicuntur. Subscribitur ei Scot. 1.s. d. 40.q.vnic. vbi prædestinationem dicit esse electionis ordinem intellectualis creaturæ per Diuinam voluntatem. Et clarius Guiller. Vorril. 1. sent. d. 41.q. vnic.art. 1. quod de mente Scoti profitetur. His potest etiam satisfieri petentibus, an prædest. peccatum supponat? Si namque ad gratiam & gloriam cum ordinatione, dicit quoque liberationẽ à culpa; vtique supponit; quomodo Angel. Christi, ac nostra prædest. non vniuocantur. Si autem cum D.Thom. sumatur, minimè supponit: in quo nostra, Angel. & Christi prædest. satis conueniunt, in multis præterea differentes, vt videre est 3. sent. Solum de hominibus erit sermo, de quibus iam quæritur, an cuncti sint prædestinati? Pro quo po-

nitur

nitur concl. vbi numquam ſimpliciter dubitatum fuit. Non omnes homines prædeſtinati ſunt, adeo vt ad Dei fruitionem pertingant. Scripturæ teſtimoniis fit clarior. Matth. 7. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. & ſup. Lata porta eſt, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam. Et 25. Ibunt iuſti in vitam æternam, mali verò in ignem æternum. Idem ſub enigmate explicauit Sapiens, vbi dixit, ſtultorum infinitus eſt numerus. Nec Gentiles ignorarunt. Pauci ſunt, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens perduxit ad ætera virtus. Exemplum eſt Iſraelitic. Populus, cum ex tot millibus hominum ab Aegypto migrantium duo ſolum promiſſionis terram ingredi meruerint Ioſue, & Caleb. cæteris in deſerto extinctis. Nec ratio deeſt; prædeſtinatio namque eſt æternæ vitæ, ſeu Regni cœlorum promiſſio, non abſolutè, cæterum quibuſdam cum cōditionibus. Matth. 19. ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Pauci deinde ſunt conditionem explere volentes. Ideo Aug. creauit Deus hominem, & prædeſtinauit; vt ſi obediens eſſet, vita permaneret: ſi autem inobediens, ſententiam ſubiret. Non eſt ergo mirum, ſi non omnes ſaluantur; cum conditiones præſcriptas explere nolint: illam praecipuè, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit; quod

eo quis præstat, cum in Dei obsequio persistit.

Si opponatur, Deus vult omnes homines saluos fieri; omnes ergo saluantur, & ideo prædestinati; cum prædest: sit Dei propositum de homine saluando. Pro solutione notandæ sunt expositiones illius propositionis Apost. Greg. vt ex Ansel. de volunt. sic exponit. Deus vult omnes homines saluos fieri; idest, nulli saluãtur, nisi quos ipse vult saluari. Vel de omni genere hominum aliqui saluantur. Vel omnes alicuius certæ multitudinis, vt Beneuent. c. 7. §. 1. Aug. Enchir. 103. priori concordare videtur, motus similibus scripturæ locis. Ioan. 1. Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mũndum: idest, quotquot illuminabuntur, per Christ. illuminabuntur. Bonau. dicit hanc Dei voluntatem sufficientem ad salutẽ non esse ob hominis factum, ponentis obicem in medio. Potest enim si vult, liberum habens arb. Colligit ab eius dictis præcipuè Beneuent. vbi sup. duplicem esse Dei voluntatem, imperatiuam, & optatiuam. Dicit deinde voluntatem, qua vult Deus omnes homines saluos fieri, optatiuam esse, quæ necessitatem non imponit: sed sub hypothesi in vtilitatem hominis ipsum saluari cupit. Idem habetur ex Ambros. sup. 1. Tim. 2. Ansel. vbi sup. inter alias acceptiones voluntatis Diuinæ vult vno modo illam sumi iuxta quendam effectum mise-

misericordiae Dei. Quare dicit, Vult Deus omnes saluos fieri: idest, facit Sanctos velle, vt omnes salui fiant, ac orent pro illorum salute. Ob id in Ecclesia pro Schismaticis, Hæreticis, Iudæis, atque Gentilibus celebrantur orationes. Communis est postremo Theologorum dist. in voluntatē signi, & beneplaciti. Illa beneplaciti est efficax, & absoluta, & nullus est, qui ei resistere valeat: sed illa signi est, qua Deus id nobis indicat, quod ipse vult; & si secundum eam non omnia fiunt. Quædam per hoc soluuntur auctoritates in scripturis, quæ inuicē præliari videntur. Dixit enim Proph. Omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo, & in terra. Legitur tamen Matth. 23. Quoties volui congregare vos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluistis. Diuidunt etiam voluntatem in antecedentem, & consequentem. Antecedens naturam, consequens personas respicit. Item antecedens, media ad beatitudinem conducentia: consequens, media perducentia, & efficacissima, quibus adiutus homo dubio procul beatitudinem assequitur. Vlterius velle antecedente voluntate non est simpliciter velle; sed vtique cōsequente. Ideo antecedente vult omnes homines saluari, cum omnes rationalis naturæ creauerit, ac beatitudinis capaces; singulis tribuens libertatem arb. legemque naturæ. Qua si bene

vterentur, gratia Spir. Sanct. non deesset; quia facientibus quod in se est, Deus non deest. Cum non omnes tamen arb. libertate benè vtantur, legemque naturæ minimè seruent; ideo nō omnes salui fiunt. At illi cuncti saluantur, quibus nedum liberum arb. ac legem naturæ largitus est Deus; verum fidem, gratiam, virtutes, & donum perseuerantiæ cæteris cum mediis ad beatitudinem efficacissimis. Quæ omnia in vniuersum cum Deus omnibus non cōcesserit; factum est, vt consequēti voluntate noluerit, nolitque omnes fieri saluos, sed antecedenti solummodò. Nec deducatur, ideo personarum acceptatorem esse, cum nulla sit hìc personæ super personā iniusta prælatio ob causam indebitam; vti fieri solet cum boni dimittuntur, mali verò diuitiis, alioue fauore dignitatem consequuntur. Nemini Deus quicquàm debet; omnes immo debitores ipsi sumus; nullam ergo causam indebitam potest in nos habere. Itaque si vni dat, alteri non; personarum acceptator minimè est. Secundò, principaliter opponi posset, Christus pro omnibus mortuus est, vt patet: omnes igitur saluantur; secus, deceptorium esset assumptū. Dicitur, quòd si virtus passionis Christi quantum ad sufficientiam spectetur, pro singulis passus est. At si secundum efficaciam, absque inconuenienti falsum est assumptum. Solū enim

illis

illis efficaciter Christi passio prodest, qui per fidē, & charitatem illius membra fiunt. Tertiò sic, Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat; vbi per mortem æterna intelligitur damnatio, ideo nemo damnatur. Dicitur sermonem ibi non esse de voluntate beneplaciti, aut prædestinationis, reprobationisve; cū omnes ita conuerterentur: at de alia voluntate non cogente, nec arb. libertati repugnante. Vel, dictum illud non est vniuersale; quare sic exponēdum; Nolo mortem peccatoris; idest, aliquorū peccatorum. Sumitur vltima obiectio ex 6. Sap. Aequaliter Deo cura est de omnibus, omnes igitur saluantur. Clara est consequentia. Ideo respōdetur, auctoritatem illam non intelligi de bonorum æqualitate, quæ respectu prædestinationis dispensantur; sed de illa, quæ in personarum acceptione intercedit. Nam prope Deum nulla est personarum acceptatio; vt communiter cum veritate substinetur. Ea enim iustitiæ distributiuæ ex Aug. opponitur, vt in proposito cōtingere nequit. Vel dicitur, ly, æqualiter, tenere se ex parte Dei; vt sensus sit, æquali sapientia, æquali bonitate, ac æquali cura omnia Deum gubernare. Similiter ad Aug. super Psal. 45. dicentem, omnibus Deum æqualiter consulere. Vel dicatur ipsum nō loqui de omnibus absolutè; at omnibus de illis,

qui

qui in Dei Ciuitate habitant.

Si quis vulgariter peteret, cur creet Deus, quos nouit non esse saluandos? Dicerem, incipientis esse causam quærere, vbi non adest; vt si quæreret, quare Deus est Deus, & cur homo animal est rationale. Ideo Aug. Diuinæ volunt. non inuenitur causa. Immo ad ipsam fit status in contingentibus. Potest nihilominus quibusdam ex coniecturis probabiliter dici, quatuor ob causas id fieri. Primò, vt eius ostendatur Iustitia. Nam si solos crearet saluandos, sola vigeret misericordia. Secundò; propter bonum vniuersale. Vt enim vniuersale saluetur, oportet interdum particulare perire, vt in Repub. patet. Tertiò, ratione ordinis successiui; quoniam ex malis aliquando boni oriuntur, vt de multis Sanct. clarum est, qui ex pessimis orti sunt parentibus. Quartò, in bonorum coronationem: vnde per prauos, & iniquos fuerunt Martyres coronati. Posset quintò dici, ob id fieri, ne putet homo virtute sua se saluum fieri. Si certò enim sciret, non nisi saluandos nasci; iure sibi diceret competere salutem, ac nullas fortè Deo gratias ageret.

ART.

ART. OCTAVVS.

An certus, prædefinitusue sit prædestinatorum numerus; ita vt nequeat augeri?



ONSTRATVM fuit, nō omnes homines prædestinatos esse: consequēter videndum est, an prædefinitus eorum sit numerus, & an aliquo pacto valeat augeri? Ad primum, quidam fuerunt Theologi asserentes prædestinatorū numerum ita Diuino intellectui certum, & cognitum esse, vt intelligat Deus cētum, milleue saluos fore: qui tamen illi erunt, compertum ipsi non esse. Quorum aduersus falsam opinionem sic oppono. Deus cognitione distincta omnia cognoscit singularia, vniuersaque futura contingentia: hunc autem, vel illum: seu Petrum, aut Ioan. saluari, singulare quoddā est (quantumuis contingens) ergo distinctè illud cognoscit, ac intelligit Deus. Non ergo in genere solum, numerum saluandorū intelligit; verum qui illi erunt, quibus operibus, actionibus, fauoribus, & auxiliis beatitudinem assequentur. Ideo dicitur, prædestinatorum numerum ipsi Deo certum esse: idest, certò cognitū, ac deffinitum. Hoc dictu est, ab æterno Deum

nume-

numerum illum intellexisse toti Vniuerso expedire, ac necessarium esse. Vbi notandũ, agens quodlibet intendere finitam rem in actu; ideo domificator, cum domum condere decreuerit, eam finitam esse statuit, ac certa quantitate comprehensam; tanta nempe longitudine, latitudine, & profunditate. Decreuit etiam mansionum numerũ in domo certum; ac definitum; ita vt tot, & non plures sint mansiones. Nam cum hæ præcipuæ sint domus partes, ipsarum numerus prædefinitus esse debet. Illarum tamen, quæ præcipuæ non sunt, nusquam constituit numerum; sed eas vtiq; sub certo quoque contineri supponit. Non secus omnipotens Deus, qui, vt in Nice. Concil. Symbolo præcipuè fatemur; factor est cœli, & terræ: visibilium, & inuisibilium, ac omnium deniq; aliorum à se; quamuis arenarum maris, & omnium aliarum rerum certam habeat cognitionem; secus tamen se habuit in numero partium vniuersi, quæ præcipuæ sunt. Nouit enim stellarum numerum, planetarum, orbium cœlestium, & elementorum: ideo certum, ac definitum esse constituit; sub quo Vniuersi perfectio contenta est. Singulas deinde inter creaturas præcipuæ mundi partes rationales sunt; inter quas electi, & prædestinati. Electorum ergo numerus notus est ipsi Deo ac prædefinitus. Tot enim expedit esse electos, nec plu-

res,

res,nec pauciores. Maximum est huius arg.quod legitur Ezechiel. c. 16. Et mensus est Deus longitudinem ædificii ex vtraque parte centum cubitorum, & c. Quatuor colliguntur ad hoc conclusiones ex D. Thom. 1.q.23.art.7. Prima, prædestinatorum numerus non solum formaliter certus est, verum & materialiter quoad personas. Nedum enim Deus quot sunt saluandi nouit, sed qui illi etiam; quod nostræ consentit positioni. Subdit ibi Caiet.quòd si praedestinatorum numerus,etiā materialiter, certus Deo non esset; prædestinatio non esset infallibilis ordinatio in aeternam beatitudinem: simulq; staret, Petrum esse praedestinatum, & non saluari. Secunda, numerus praedestinatorum,nedum ratione cognitionis,sed quadam etiam speciali ratione certus,idest electus,& praedestinatus est, praedefinitus, & per se intentus. Iisdem, quibus & mea superior,firmatur. Tertia, quamuis reprobatorum numerus certus sit ratione cognitionis: vel subiecti, vt Caiet. tamen certus non est ratione electionis, diffinitionisve: aut quatenus reprobi sunt. Cuius est ratio, quia reprobati nō sunt propter se, sed propter alios,quibus per Apost. omnia cooperantur in bonum. Quarta, solus Deus praedestinatorum numerum formaliter,materialiterq; nouit. Docet Eccle.ea in orat. Deus,cui soli notus est numerus electorū.

in superna felicitate locandus, & c.& ideo verior censenda est opinio. Non defuerunt enim, qui de numero saluandorũ determinatè loquuti sint; vnde posset etiam inferri, nobis quoque talem numerum aliquo modo innotescere. Greg. quòd tot saluabuntur asseruit, quot angeli remanserunt. Alii, tot, quot angeli ceciderunt. Alii, quot angeli ceciderunt; & insuper, quot creati fuerunt. Quas opiniones non redarguo, cum Illustrium sint virorum.

Ad secundũ principale ponitur negatiua cõcl. ex superioribus deducta. Si certus enim, ac prædefinitus est numerus prædestinatorum formaliter, & materialiter; remanet, vt augeri non possit. Est etiam Aug. de correp. & grat. 6. Certus est numerus electorũ, inquit, vt non addatur eis quisquàm. Et ratione patet; nam si electorum numerus augeri posset, ponatur hoc per vnitatẽ, à, Tunc sic: à, nunc est de numero electorum, & antea non; ergo incepit esse de numero prædestinatorũ; quod fieri nequit, cum prædestinatio sit æterna gratiæ præparatio; vnde nemo est, qui prædestinatus esse incipere valeat. Vbi noto, idem non esse prædestinatorum numerum augeri, & reprobatum saluari posse: cum hoc, in sensu diuiso, non repugnet, illud verò maximè. At in contrarium quæ valent afferri, diluantur.

Ante

Ante omnia est, quod legitur Deuteron. 1. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis. Colligitur ergo benedictorum numerum augeri posse. Dicitur, illud intelligendum esse de prædestinatis secundum præsentem Dei iustitiam, quorũ in dies augetur numerus, atque minuitur: non autẽ de his, qui sunt ab æterno prædestinati, quorũ certus est numerus, & à Deo prædefinitus. Etsi enim multis reprobis gratia datur, ob idque temporalis iustificationis ad beneficium præparari dicuntur; quia tamen ad maximum beneficium non sunt ordinati, gratiam tandem non suscipient; vnde est, vt reprobus, propriè prædestinatus numquàm efficiatur. Est clarum in glos. ad illud, cuius vult miseretur, Rom. 9. Secundò, est propositio: Aug. vel illi falsò potius imposita; Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris: vnde oriretur etiam, numerum prædest. augeri posse. Confutanda ergo, vel exponenda est. Nusquam penes eum id me legisse recordor; & à doctissimis olim accepi, ex vulgari potius opinione, quàm ex Aug. fonte austum esse. At, esto quòd eius sit, exponendũ sic puto. Primò, excessiuè ibi verba fecisse ad excitandos hominum animos, cum in charitatis torpore extinctos vidisset. Similiter vbi dixit in lib. de fid. ad Petr. pueros sine baptismate decedentes

sensus etiam pœna in inferno cruciari, in Pelagianos effectum baptismi, ac mundationem paruifacientes. Sic illum locum exponunt, præter Greg. de Arim. 2. sent. d. 31. q. 3. in quo ipsi non assentior, cum in Enchir. 93. & 1. lib. de baptis. parū. 76. dicat Aug. paruulorum pœnam esse mitissimam; quod verificari nequit de infernali, quæ, quantumuis extenuata, grauissima est. Si conuincerer, eam esse Aug. sententiã, quam putat Greg. non reciperem; sed potius determinationem Innoc. 3. amplecterer, extr. de bap. & eius effec. c. maiores causas. Secundò, sic valet exponi Aug. vt non de totali effectu loquatur; sed de primis solum, vt sensus sit; Si prædestinatus non es. i. si gratia cares, & in peccato iam dormis; resipiscere, audi vocationem tuam, suscipe auxilium, quod porrigit tibi Deus; & eo medio dispone te libenter, & iustificaberis. Opponitur tertiò, ex communi Theologorum sententia, prædestinationem precibus sanctorũ maximè adiuuari; ergo potest prædestinatorum numerus augeri. Ob id Astrologorũ nonnulli, aduertentes vlterius immobilitatem diuini consilii, dixerunt vanas esse Sanctorum orationes, ac illis nullo pacto praedestinationẽ iuuari. Contra quos est primò quicquid scripsit Arist. 1. de Interpret. c. vlt. 3. Ethic. vbi probat multa esse in nostra facultate. 2. Phys. vbi de casu, & fort.

& in fin. 6.metaph. Secundò eſt, quia inſpicitur. Scriptura variis referta admonitionibus ad preces, quae ſuperuacaneae nō ſunt. Extat exemplū Geneſ. 25: Iſaac enim rogauit pro Rebecca vxore, & Deus dedit ei conceptum. Legatur deinde Aug. dicens, Nullum, niſi orantem credimus ſalutem promereri. Dixitque Iacob Apoſt: Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Et Chriſt. Matth. 26. Vigilate, & orate.

Non defuerunt grauius errantes, eam vim aſſerentes habere Sanctorum preces, vt Dei voluntatem flectere valeant, ac praedeſtinatum ex non praedeſtinato efficere; Nec paruum eſt teſtimonium, quòd Ezechiae ſuas propter orationes 15. anni praeter vitae tempus conſtitutum fuerunt adiecti. In contrariū eſt, quod habetur Reg. 15. Porrò triumphator Iſrael non parcet, nec pœnitudine flectetur; neque enim homo eſt, qui pœnitentiam faciat. Malach. 3. Ego Deus, & non mutor. Iac. 2. apud quem non eſt tranſmutatio. & Rom. 11. ſine pœnitentia ſunt dona Dei.

Ad id, quod dicunt de Ezech. reſpondetur, illū oratione ſua diuinam voluntatem non immutaſſe: verū, quod Deus in illo orante voluit ab aeterno, id fuit adimpletum; vt ipſe ſcilicet oraret, pro quo tempus adderetur. Orandum eſt ergo, non ad immutandam Dei voluntatem, cum mutabilis

non

non sit; sed nos vt potius, eius aeterna voluntate donante, in dies in melius mutemur. Et quæ sunt scripturæ, Sanctorumve auctoritates, vt superius allatæ; sic exponendæ sunt, quòd fideles hortentur, vt orent; non ad voluntatem Dei immutandam, quia maxima esset infidelitas: sed vt effectus aliquis nobis salutaris secundum diuinam prædestinationem adimpleatur, quem, non nisi orantibus Deus donare decreuit. Ob firmiorem negotii solutionē sit prima concl. Impossibile est Sanct. precibus ex non prædestinato aliquem fieri prædestinatum. Da oppositum; vel esset in vno, atq; eodem tempore; vel diuersis in temporibus. Si in eodem; aperta est contradictio: puta aliquem prædestinatum, dilectumque esse, & odio quoque habitum. Quæ impossibilis est respectu Dei, cui omnia sunt aperta: respectu autem nostri, supposita alicuius facti ignorantia, non implicat. Possum enim ego odisse interfectorem patris mei, & Petrum diligere, nesciens illum esse talem interfectorem. At si diuersis in temporibus, sequitur Deum mutabilem esse, quod fidei catholicae repugnat.

Secunda concl. Impos. est totum prædest. effectum iuuari precibus Sanct. quoniam: huiusmodi preces hominem quodammodo iuuant ad beatitudinem consequendam; ergo sunt prædestina-

tionis

tionis effectus; cum talia media inter prædestinationis effectus omnia connumerentur. Quòd si effectus, rationem causæ habere nequeunt; accedit, quòd adiuuans, & consulens veræ causæ non dicuntur.

Tertia concl. Prædestinatio quoad aliquem effectum iuuari potest Sanct. ac nostris etiam precibus. Id enim, quo aliquid eo accedente suum sortitur effectum, eo ipso verè dicitur adiuuari; quòd autem prædestinati gratiam, & gloriam assequantur; quòdve ad Deum conuertantur Sanct. precibus sæpenumero fit, vt est Aug. in serm. D. Stephani. Nisi Stephanus orasset, Ecclesia, inquit, Paulum non habuisset. Sanct. ergo preces prædest. iuuant ad aliquem consequendum effectum; puta conuersionis initium, vt in Paulo. Conf. prædest. pars est prouidentiæ, Deus prouidentia sua singula gubernat, & per secundas causas ministrat; ergo æterna quoque prædest. cuius beatitudo est vltimus effectus, hunc ordinem statuit, vt eam homines propriis meritis, vel aliorum precibus consequantur. Ostendit Petrus, satagite, inquit, fratres, vt per bona opera certã faciatis vestram vocationem, & electionem. Sicuti enim ab æterno Deus statuit conferre beatitudinẽ creaturæ; ita ea media prædestinauit, quibus ipsam consequutura foret. Et hoc sub sensu intelligenda est propo. quòd

prædest.

praedest. iuuari valeat precibus Sanct. Et ex his, aliisque iam dictis, soluit? arg. tactum art. 2. Non defuerunt asserentes; vt Orig. Faustus Gall. Episc. in lib. de arb. con. Ioan. Euci. Amade. in suis reuelat. Sebast. Castilio. suis in adnotat. & Ambros. Cathar. quòd omnes homines, quantum est ex parte Diuinæ volunt. ad salutem sunt destinati; at quòd non omnes acquirant, ex ipsorum fit negligentia. Asserunt etiam aliquos infallibiliter electos, at alios libertati suæ relictos esse. Quorum si staret opinio, dubium non esset, quòd praedestinatorum numerus augeri posset. Sed quoniam in sequenti confutabitur; sicut prius tenendum est.

ART. NONVS.

An Prædestinatorum certa sit salus?



IAM prædestinatorum numerum incrementum non suscipere, fuit elucidatum; quod idem sonat, ac si dictũ fuisset, reprobatũ in composito sensu saluari non posse. Discutiendum remanet, an decrementum patiatur; idest, an prædestinatus, vt talis; & vt alii dicunt, in cõpositionis sensu valeat damnari. Ibidem vtrumque congerere

gerere libuit, ne entia non necessariò multiplicarem. Propositi autem art. sensus non est, an prædestinatus cognitam, & exploratam de sua salute certitudinem habeat; de qua infra: Sed; supposito, Petrum prædestinatum esse; an firma adeo, ac stabilis eius prædestinatio sit, vt nullo pacto valeat damnari? Et cum eo redit, an prædestinatus necessariò saluetur? Et si de propinqua huius certitudinis causa, vbi de præscientia, & voluntate Dei art. 6. egimus, dicta sunt multa; reliqua sunt absoluenda, & primò Chatar. ac suorum examinanda opinio. Duo igitur asserebant, quæ necessariò se consequuntur: alterum; non omnes, qui saluantur, prædestinatos esse; solum eos per prædestinatos intelligentes, qui ad salutem infallibiliter sunt vocati. Alterum; inter hæredes æternæ salutis gradus esse constitutos, ita vt præ cæteris aliqui eligantur. Primum sic suadent: Eccle. 31. Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia, & thesauris; qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Beatificatur ergo ille, qui transgredi potuit, nec est transgressus: ergo non ita erat ad vitam ordinatus, vt illam esset omninò adepturus; sed poterat adipisci, atque nõ adipisci; cum peccare, ac illam amittere posset. Secundò,

Apocal.3. dictum fuit Episc. Philadelphiæ, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Hæc verba, dicunt ipsi, illi non conueniunt, cuius certa sit salus; nec illi, cuius desperata: vel, vt communiter, neque prædestinato, neque reprobato; ergo quoddam genus est medium inter eos, quod acquirere, amittereve possit beatitudinem. Quòd prædestinato non conueniant, inde clarũ est, quòd prædest. coronam suam amittere nequit. Neque reprobato, cui ludibrio dictum esset, tene quod habes; cum nihil sane habeat; sique aliquid haberet, tandem tenere non posset. Secus enim saluaretur qui non est prædestinatus. Tertiò Iob 34. conteret multos, innumerabiles, & stare faciet alios pro eis: quod Greg. sic exponit, vt vitæ locum aliis cadentibus alii sortiantur. Idem in Iudæis, atque Gentilibus demonstrat Paul. Rom. 11. ideo fractam, inquiens, oliuam, vt oleaster insereretur. Nec obscurum est, subrogatos non esse reprobatos; aliter numquam saluarentur: neque prædestinatos; cum non infallibiliter, sed occasionaliter saluentur; idest per cadentium ruinam, non necessariam ex parte saltem prædestinantis, qui neminem ad peccandum impellit. Quartò, Exod. 32. & Apoc. 3. qui peccauit, delebo eum de libro meo, vel vitæ: aliqui ergo sunt, qui deleri possunt: non reprobi, de quibus id fru-

stra

ſtra diceretur, vbi nũquam in libro vitæ fuerint: neque prædeſtinati, infallibiliter ibi adſcripti; quidam ergo medio ſe modo habentes, qui ſub cõditione, & deleri, conſcribique valent.

Alterum ità probant, Rom. 8. Diligentibũs Deum omnia cooperantur in bonum. Quæ verba, inquiunt, omnibus, qui ſaluantur, non conueniunt. Multi namque Deum diligunt, negligenter tamen; quibus ob id non omnia cooperantur in bonum. Illis ergo conueniunt, qui de ſalute ſua dubitare nequeunt; quidam ergo gradus eſt inter ipſos. Habent ſecundò teſtimonium Amb. aſſerentis quoſdam ſaluari, non autem magnifica ri; id eſt non habere præclaras in cœlo manſiones: quidam igitur eorũ eſt gradus, qui ſaluantur. Aliquí enim amici ſunt vulgares, quidã amici, & fratres; plerique electi, nonnulli prælecti; vtque declarant, præ cæteris electi. Deducunt tertiò Pauli auctoritatem 2. Tim. 2. vbi, cum dixiſſet fundamentum Dei firmum eſſe; eo quòd nouerit, qui ſunt eius: per quæ primam innuit ſaluandorum claſſem, vt Apoſt. fundatores Eccle. ſecundã ſtatim ſubdit, Diſcedat, inquiẽs, ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. In magna enim domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea; ſed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Si quis ergo ſan-

ædificauerit se ab istis, erit vas in honorem, & vtile ad omne opus bonum. Ecce, inquiunt, aliorum incerta salus. Quartò dicunt, Eccle. ordini consentire, vt velut in magna domo, ita ibi multæ sint mansiones. Habent exemplum de natura, familiis, & membrorum dispositione; in quibus non idem viget perfectionis gradus; Sicut ergo præcipuæ sunt in domo mansiones, & in cœlo, vt oculi, stellæ nonullæ; ita aliqui, velut luminaria, sunt in Ecclesia; Vnde scriptura; qui vos tangit, tang. pupillam oculi mei. Alii gradũ tenent inferiorẽ; inter prædestinatos ergo ordo quidam est, & gradus. Afferunt quintò Ioan. Apoc. 7. vt, cum dixisset ex omni tribu Israel se 12. millia signatorũ vidisse; ita vt 144000. numerum complerent, subiunxerit, post hæc vidi turbam magnam, &c. Vnde colligũt, prædestinatos in priori loco situandos, eos postea, qui ex vulgo saluantur; vtque pênes officia, quæ in Eccl. quis gerit, sit gratiæ mensura. Vltimò arg. Si omnes, qui saluantur, certò saluarentur, cum illis parauerit Deus media, quibus indubiè ad salutem perueniant: quæro, quid de aliis dicendum? vel non vult eos saluari, quod minimè; esset enim contra Paul. Thim. 1. vel vult, media tamen non parat sufficientia: & neque hoc, quia dicere esset, Deũ tum velle, tum nolle quòd saluentur. Vel præstat; sed non vult, vt illis vtantur,

tur,quod maius absurdum est. Vel præstat,vultq; vt illis vtantur; at ipsorum nemo per talia incidit,ideoque non saluatur; quod sanè voluntariè dicitur. Quis enim hoc nouit? Vel vtuntur aliqui,atque saluantur; sed hoc positionem destruit, quæ præter eos, quorum est certa salus, ad vitam æternam neminem admittit.

Quãquàm opinio hæc tot ob rationes probabilis videtur;veritati tamen obuiat, vt oppositionũ ex solutionibus præcipuè notum erit, ad reliqua priusquàm deueniatur. Ad 1.neg. cõsequentia; cũ de omnibus,qui saluati sunt,& saluantur æqualiter verificetur, quòd cum peccare valuissent,ex libera ipsorum voluntate non peccarunt. Auxiliũ namque diuinum arb. libertatem non perimit, vt visum est. Nec inferatur,quòd eorum potuerit aliquis damnari; quoniam Deo suffragante,finaliter peccare nõ potuit; inlæsa adhuc (quantum de se est) libertate arb. Ad 2. dicitur; hæc verba, tene quod habes,& c. conuenire prædestinatis,quorum certa est salus; ad libertatem arb. detegendã: tum quia corona bifariã dicitur alicuius, vel propter præsentem bonorum operum iustitiam, vti amissibilis est: vel ob efficaciam prædestinationis, quæ perdi nequit. Posset instare aliquis, vt ipsi instant, Viatori,vt sic,corona nõn debetur;ergo per peccatum illam amittere nequit; nisi,vt qui hæres

æternæ vitæ erat, damnationis iam fiat. Iterum; esto quòd prædestinatus iuxta præsentem iustitiam, seu potius iniustitiam, peccans coronam amittat, nemo eius in locum substitui debet, cum sit illimet aliquando reddenda; vt in loco restituto, vnde iam ceciderat. Ad 1. vt melius respondeatur, quid viatoris nomine accipiatur, non est ignorandum. Est ergo viator, non habens præmium beatificum, de communi lege sibi possibile: estque in statu merendi, vel demerẽdi, aut esse potest ex lege communi. Dicitur postea, viatori, quamuis non detur corona; deberi tamen, tempore dandam: immo & in spe datur, vt Aug. 10. confes. beatitudo re, & spe tenetur. & Psal. 118. beati immaculati in via. Et hæc non confunditur; causa immo est, vt Paul. dicat, De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Quatenus autem illam habet in spe, peccando amittere potest; quia si in peccato speraret, iam non spes, sed fiducia temeraria esset. Ad 2. non esse duplicem coronam, alterã praedestinationis, alteram præsentis iustitiæ merito, vt Chatar. voluit, verum vna, eademque corona est, iure adoptionis, ac bonorum operum prædestinato debita. A primo finaliter prædestinatus nõ cadit; à secundo potest aliquando per peccatum, quod ipsimet reuiuiscenti restituitur. Et si reprobatus in talem coronam ius accipit quandoque;

doque; non primum simpliciter, sed secundum. Ad 3. breuiter dicitur, quosdam subrogari caden tibus aliis; non omnino, vt coronam aliquando accipiant; solum autem secundum praesentem iu stitiam. Neque simpliciter coronam amittentes, de saluandorum numero vmquam fuerunt; nec in ipsorum loco subrogati, de numero omnino reprobatorum. Iudas ergo praedestinatus simplici ter non fuit, neque Matthias omnino reprobatus: ideo Ioan. si fuisset ex nobis, vtique permansisset; sed non erat ex nobis, quare à nobis exiuit. In triumphanti Eccl. cur alii cadentibus aliis substi tuantur; nec aliqui, nisi ex aliorum perditione saluetur; vtque ait Apost. nisi frangeretur oliuae ramus, nō insereretur oleaster, rationem sanè red dere, possibile non est. Vnum pro comperto ha beo, neque eos, qui damnantur, vmquam praede stinatos fuisse simpliciter, neque salutem adeptos, omnino reprobatos. Immo, ex quo cadentibus aliquibus certos alios Deus subrogat; certissimus colligitur praedestinatorum numerus. Si quis dicat, eos, qui in aliorum ruinam succedunt, in ter eos numerari non posse, quorum est explora ta salus, cum ex contingenti occasionem habeat: fateor hoc verum fore, si prope Deum contingēs aliquod esset; quod cum non sit, etiam instantia ruit. Ad 4. respondetur, deleri aliquando de li-

bro

bro vitae praedestinatos quantum ad praesentem operum iustitiam, non autem simpliciter: vbi cũ D. Thom. dicam 1. p. q. 24. quòd liber vitae secundum rem, idem est cum prædest. licet ratione differãt, quia prædest. aliquorum est ordinatio in vitam æternam: liber autem vitæ sola simplex Dei notitia, qua eos nouit, qui vitam æternam consequuturi sunt. Propriè ergo liber vitæ ad gloriam refertur; largè etiam ad gratiam. Si absolutè ergo loquamur, solum prædestinati ad librum vitæ pertinent: si largè autem, & secundum quid, omnes etiam iusti: ratio est, quoniam gratia quaedam participatio est diuinae gloriae. Propriè igitur loquendo, vt liber vitae notitiam dicit ordinatorũ in aeternam vitam ex diuina praedest. nemo deleri valet. Si tamen impropriè, vt notitiam dicit ordinatorum in vitam aeternam secundum praesentem iustitiam; non inconuenit aliquem ex eo deleri, ibique conscribi, vt dictum fuit.

Ad ea, quae prò altero cap. dixerunt, not. est, absque dubio gradus quosdam inter electos dari. Aliqui enim nobiliorem, quidam inferiorem in Eccl. locum tenent; nedum militante, sed etiam triumphante, vt inter cœli sydera contingit. Ideo dictum est, in domo patris mei, & c. Non est essentialis differentia, vt ipsi volunt, qua aliquorũ certa, aliorum autem arbitraria sit salus; & in hoc om

nes eorum tendunt rationes, quae facillimè diluũtur. Cum ergo dicunt, illa verba, diligentibus Deum, & c. non omnibus, qui saluantur, conuenire; quòdve non valeant amici Dei, nec fratres Christi vocari; negatur assumptum. Omnes enim, qui saluantur, Christi cohaeredes meritò dicũtur; si autẽ cohaeredes, fratres etiã dici debent; ac omnia illis cooperantur in bonum. Quia si aliqui saepe negligentius agant, peccando aliquando; haec negligentia in bonum illis cedit, cum inde cautiores fiant. Cum postea dicunt; quosdã praedestinatos esse, nondum inspectis eorum meritis; quosdam verò visis eorum bonis operibus. Vel; quod redit in idem secundum eorum considerationem, aliquos praedestinatos fuisse ante mundi constitutionem, & quosdam à constitutione mundi. Superstitiosè certè faciunt; cum de omnibus saluandis eandem sententiam proferat Dauid, Misericordia, inquit, Domini ab aeterno, & vsque in aeternum super timentes. Et declarans hanc misericordiam dicit, Dominus in cœlo parauit sedem suam. Si verum deinde esset, quòd non est aliquibus destinata salus, nisi inspectis eorum operibus; vel hoc intelligitur de visione operum in aeternitate, vel in seipsis. Si in aeternitate; cũ aeternitas totum ambiat tempus, illudquè transcendat; idem est asserere Deum praedestinasse à

R con-

constitutione mundi, & ante constitutionẽ mundi. Si in seipsis, minus verè esse potest, quòd omnibus, qui saluantur, decreta sit salus à constitutione mundi, idest à principio, quando cõditus fuit: quandoquidem multi quotidie nascantur electi, nascituri que sint; neque adeò fuerunt à principio mundi, vt eorum opera in se Deus inspiceret. Ad dictum Paul. 2. Tim. 2. dicitur, nihil inde colligi, nisi in Eccl. militante ex immundis fieri mundos, quod est concedendum. Similiter & per magnam domum, dicitur, intelligendam Eccl. militantem, vt expositiones Ambros. & Hierony. testantur, vbi aliqui permanent solidiores, velut fundamenta, de quibus dicitur, fundamentum Dei firmum erit. & Esai. 27. super muros tuos Hierusalem constitui custodes; tota die, & tota nocte perpetuò non tacebunt. Alii verò ex infidelibus ad fideles; aliqui etiam ex fidelibus ad infideles transeunt. Neque per vasa aurea prædestinati solum intelliguntur; sed omnes, qui nobiliorem locum in Eccl. tenent doctrina, fide, & exemplo: quales Apost. fuerunt, & hodie Prælati: Nec per lignea, fictilia ve reprobati intelliguntur, sed ignobiliores, & qui ob infirmitatem fidei sæpe incidunt in peccatum. Vbi dicunt postea, ordini Ecclesiastico cõuenire, vt in illa sint gradus: iam responsum est. Ad id autem Apocal. 7. dicendũ

est,

est, illic ostendi secretum illud, quod Christus manifestauit Petro, multos scilicet nedum ex Iudæis, verum ex Gentilibus esse saluandos; & primo loco Iudæorum salus describitur, cum ex illis de facto sit, quod Paul. Rom. 11. describit: Gentilis verò est tamquam oliuaster præcario iure in bonã oliuam insitus. Declaratur hoc etiam, vt per sexaginta Reginas Salamonis Iudæi intelligantur, per concubinas Gentiles, qui maiori in numerò sunt. Ad vltimam rationem breuiter dici potest, præter eos, qui certò saluantur, neminem velle Deum saluari. Ad Paul. dictum, Deus vult omnes homines saluos fieri, dicitur, vt supra cum Ansel. idest neminem perire. Et ex his breuiter dictis singulæ Chatar. aliorumque rationes solui possunt. Non est ergo, vt eorum sententiam veram existimemus, præsertim cum Aug. contradicat in lib. de correp. & grat. cap. 12. & 13. vbi expresse dicit, Qui autem cadunt, & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt; quasi dicat, qui saluantur, omnes certò saluantur: quia qui non saluantur, in eorum numero non fuerunt, qui saluari possunt. Contradicit etiam Ambros. lib. 2. de voc. gent. c. vlt. vbi nullam ponit differentiam inter prædestinatos, & saluandos: sed omnes, qui saluantur, infallibiliter saluari dicit. Quare contraria ponitur concl. Omnium, qui saluantur,

certa, indubitataque est salus ex Diuina prædestinatione; vt nulla sit inter eos differentia quantū ad hoc, quòd aliqui certò, aliqui contingenter saluentur. Primò sic probatur, Deus ab æterno constituit, qui futuri essent sui hæredes, & membra filii sui; & ita certè, vt numerus ille neque minui, neque augeri valeat; quotquot ergo saluantur, indubiè saluantur. Sequela probatur, quia si alicuius esset incerta salus, numerus ille posset minui, & sic Dei propositum frustraretur. Antecedens prob. quia Deus intendens facere vnam Eccl. vnumque ædificium ex Christo, & hominibus; certam etiam, & definitam intendit huius ædificii mensuram, & partium numerum, quia omne agens aliquod finitum in actu intendit: & Deus præcepit arcam fieri sub certa, & determinata mensura, ergo constituit quot forent huius ædificii partes principales, vt saluādi sunt. Secundò, certū est eos, qui saluātur, esse tāquam stellas firmamenti huius, quod est Eccl. At Deus certo sub numero stellas creauit, ergo & saluādos, mai. est Aug. sup. Psal. 121. vbi asserit Eccle. nomine cœli aliquādo vocari: & Isid. ait, quòd cœlū specialiter dicitur Ecclesia, quòd Sanct. exēplis, quasi syderū claritate fulget. Est etiā Amb. sup. Psal. Beati immaculati in via. & Paul. 1. Cor. 15. & Matth. 5. Iterū sic prob. concl. Qui saluātur, omnes censentur in-

ter oues Christi, Matth. 24. vbi sub nomine ouiũ computantur quotquot à dextris sunt, qui omnes saluantur: sed Christus Ioan. 10. ait quòd ipse vocat eas nominatim, ergo singularũ nomina, & numerum apud se habet, ergo qui saluantur, certissimè saluantur. Tertiò probatur, si non omnes, qui saluantur, certò saluarentur, ergo incertus esset saluandorum numerus, ergo incertus esset penes prouidentiam diuinam dies extremi iudicii, quod fatuum est asserere. Quartò, Omnes, qui saluantur, inter Christi oues computandi sunt, vt probatum est, ergo omnes, qui saluantur, infallibiliter saluantur: prob. cõsequentia, Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & non rapiet eas quisquàm de manu mea. Non est opus, vt in re tam clara plures adducam rationes, præsertim, cum neq; Patrum, neq; Scolast. aliquis dissentiat. Remanet solum, vt exercitii gratia obiecta aliqua dissoluantur. Obiicitur 1. quòd Petr. fideles hortatur, satagite fratres, vt per bona opera vestram certam faciatis vocationẽ, & electionem vestram: nullius ergo de se certa est salus, etiam ex prædestinationis fine. Resp. quòd cum certitudine prædestinationis stat, vt salus indies magis certa euadat propter bona opera, quoniam per ipsa ad metam præscriptam propius semper accedit. Dici etiã potest ex mandatorũ obser

uantia prædestinationem reddi certam; non in se, sed prædestinato. Deus enim nemini reuelat iustis de causis electionem suam; præsertim vt cum timore operemur salutem nostram, qui timor per bona opera tandē excluditur. Obiicitur 2. Paul. Rom. 11. gentilem hortatur, vt stet fide, & timeat; quoniam Deus naturalibus oliuæ ramis nō pepercit, vbi fuit insertus oleaster; multò minus parcet oleastro, idest gentili ad fidem conuerso; ergo prædestinatorum salus sub timore est, & non cum securitate. Resp. inde solum colligi, ab æterno Deum nō solum destinasse quòd Petrus saluetur, sed hoc totum simul, quòd Petr. per fidem Iesu Christ. ac bona opera salutem habeat. Ioan. 3. Neque enim vnigenitum suum dedit, vt omnis homo absolutè non pereat; sed vt omnis, qui credit in eum, non pereat. Nec ob id colligitur, omnes, ad quos ibi loquitur Paul. eorum ex numero esse, quorum certam dicimus esse salutem, vel desperatam; nisi forte secundum præsentem iustitiā. Neque enim gentilium omnium, vel Iudæorum est certa salus, vel desperata. Tandem dici valet, ideo sub conditione vniuersam omnibus salutem polliceri Deum, vt in his etiā, qui certissimè saluātur, arb. libertatē reperiri ostendat. Adducitur 3. quod habetur Apoc. 3. Tene quod habes, ne alius coronā tuam accipiat: & sermo est de corona, quæ
præ-

præparatur ex prædestinatione; ergo potest amitti,& prædestinatus damnari. Resp. 1. quòd Episc. ille, cui dicta fuerunt verba illa, fortè non erat de numero prædestinatorum: & dato quòd esset, dicitur cum Aug. illa verba dicta fuisse, vt prædestinatus in Sanct. timore Dei detineatur: vel cum D. Thom. 1. q. 23. art. 6 duplicem esse coronam, vel ratione prædestinationis, quæ nequit amitti: vel ratione proprii meriti, quæ valet amitti; de qua forte verba illa intelliguntur. Nec est nefas dicere, verba illa dicta fuisse ad ostendendam libertatem arb. Quartò, dicit Christ. multi venient ab oriente,&c. & filii regni eiicietur foras. Filii regni electi sunt; regnum autem cœlestis est patria, ergo electi regnum perdet, & damnari possunt. Resp. quòd per regni filios Iudæi intelliguntur, per Regnum autem Eccl. militans. Quare mirum non est, si ab eo propter incredulitatem multi fuerunt exclusi Iudæi, & loco ipsorum Gentiles subrogati. Quintò legitur, quòd Paul. castigabat corpus suum, ne reprobatus ex prædestinato fieret; ergo. Resp. nō ideo Paul. castigasse corpus, vt Dei voluntatem immutaret, ostenderetve, prædestinatum posse reprobatum fieri; sed arb. libertatem vt ostenderet omni conatu Diuinæ grat. sociandam esse, nec vllo pacto illi resistendū. Posset vltimò vulgariter opponi, nonne Christ.
dixit

dixit 12. Apost. ego vos elegi: & illis 2. classis, nomina vestra scripta sunt in cœlo, Luc. 10. qui tamen recesserunt; & ex illis 12. Iudas damnatus est? Ad hocd. D.Ambr. Rom. 9. quòd quædã dicuntur in Deo secundum decretum suæ præscientiæ; quædam verò secundum decretum iustitiæ, quæ exigit, vt pro bono opere quis remuneretur. Eos igitur, qui 2. classis erant, recesseruntque; in bonorum numero Christ. numquam habuit. Si autem dixit illis, nomina vestra scripta sunt in cœlo; ex decreto iustitiæ loquutus fuit: vt, quia erant ad ministerium electi, suis promeritis præmiarentur. Quòd autem Iudas ceciderit, mirum non est; cum Apostolatus inter gratias gratis datas connumeretur, ideo prædestinationem non infert. Quare dici potest, Iudã non fuisse de numero prædest. & ideo finaliter cecidisse. At cum dixit Christ. ego vos elegi; Resp. iuxta communem Theolog. distinctionem ex superiori desumptam; ibi loquutum fuisse secundum præsentem iustitiam, non secundum æternam gloriam. His expeditis, videndum iam esset, quotus hic sit numerus, & an maior reprobatorum, quàm prædestinatorũ; quoniã autem inutiles sunt quæstiones, adeoque perplexæ, vt solus Deus certam ipsarum determinationem sciat; omitto, & ad aliud me confero.

ART.

Qui finis, vel terminus existat Prædestinati?



OCANT aliquando Theo. prædestinationem transmissionis nomine, vt visum est: cumque transmissio, vt mutatio, terminum ad quem potissimè respiciat: ideo qui terminus prædestinati sit, videndum est. Qui in propinquum, & remotũ: vel mediatum, & immediatum secari habet. Immediatus est, quò prædestinatus Christi membrum efficiatur: mediatus, vt beatus euadat. De hoc nullus dubitat; & primus à Paulo demonstratur Rom. 8. & de eo art. 3. Adiiciantur illis quæ clara habentur c. Engeltrudam 3. q. 4. & de cõse. d. 1. c. Eccl. Hoc medio fine remotum etiam fidelis acquirit; & hoc excluso, neque remotus obtinetur; cùm extra Eccl. nemo saluetur. Eius ianua baptismus est c. cum itaque in fine, de cons. dist 4. & extra de bap. maiores; quia sine eo salus nequit haberi c. non potest. de cons. dist. 4. licet absque aliis cũ eo habeatur per Card. Alex. in c. præter. §. ad hoc, cos. 2. d. 32. Est insuper scripturæ testim. Nisi quis renatus fuerit, &c. Adsunt DD. & præcipuè Concil. Trid. Sess. 7. can. 5. Lucescit etiam can. Eccl. paradiso comparatur dist. 4. de cons.

Sed de altero loquamur; vbi, præter ea, quæ art. 5. dicta fuerunt, spectandum est, his quoque nominibus beatitudinem appellari. Aliquando vitam æternam Rom. 6. & Ioan. 17. Quandoque regnum Dei, D. Aug. in Enchir. Nonnumquam regnum cœlorum, Matth. 5. Felicitatem ab Arist. 1. Ethic. Sapientiam à Plat. in Eutide. & Gorg. quem vt intelligamus sciendum est, olim sapientiam pro eodem habitam, pro quo philosophia: hinc 7. Græciæ sapientes, Pytagoras, ex Cic. 5. Tuscul. primus ob modestiam deposuit tale nomen. Aliquando pro prudentia sumitur, Ethic. 2. virtus est in medio consistens, prout sapiens determinabit. i. prudens. Sumitur etiam pro causarum vniuersali notitia, metaph. 1. Sapiens quodammodo omnia nouit. i. in vniuersali. Sumitur etiã pro abstractarum rerum sola cognitione: vti Plato eam mortis contemplationem dixit, ex Amm. in præfat. sup. Porph. Nec de morte sermo est, qua anima realiter seiugitur à corpore; at de ea, qua à sensibilibus, & caducis rebus iuxta superiorem portionem se liberat, & contemplationi tradit. Similiter Deut. 4. hæc est sapientia vestra, & intellectus coram populis: intellectus de imis, & sapientia de æternis. Tandem sumitur pro habitu intellectus voluntatem quoque perficiente; vti sapientia, quasi sapida vocatur à Plat. & 6. Eccl. sapientia enim doctri-

næ

næ secundum nomen est eius, & non est multis. Esai. 11. replebit eum spir. sapientiæ. Beatitudinem denique summum bonum aliqui vocarunt: quæ si sumatur obiectiuè, est summum bonum simpliciter; circa quod tam grauiter errarunt antiqui: vt Varro, Cice. Aug. & Landi. nouissimè, referunt. Si formaliter, est summum bonum; non simpliciter, sed in genere humanarum perfectionum. Hæc de nomenclatura; quid rei iam videamus, notantes in primis, simpliciter eam sumi posse: primò pro sola dispositione remota ad supremam, vt Ethic. 1. vbi pueri bonæ indolis beati dicuntur. Secundò, pro eleuata participatione supernaturalis per cognitionem, & amorem; quae actiuam continet, & contemplatiuam: de prima 1. Ethic. de secunda 10. tractatur. Vtraque naturalis dicitur, fortè cum naturæ viribus obtineatur; vt antiqui Philos. naturali via cognouerunt, & dilexerunt Deum, vt naturae auctorem, & primum princ. Tertia supernaturalis dicitur, & gratuita, qua cognoscitur Deus, vt auctor beatitudinis; vt trinus, & vnus: vt redemptor, & glorificator; & de hac sermo erit. Quæ postea diuiditur in formalem, vel denominatiuam, vel subiectiuam: & in materialem, vel obiectiuam, siue finalem, cum omnium simpliciter sit finis. Formalis est finita; cum sit creata, & in subiecto finito recipiatur. Obie-

ctiua est increata, & infinita; & ab ea formalis dependet. Formalis dicitur finis quo; & intrinsecus; quia formaliter replet: obiectiua finis in quo, & extrinsecus; quia finaliter replet, & effectiuè. De hac loquitur Aug. 1. confes. c. 2. tom. 1. ad te nos fecisti Domine, & inquietũ est cor nostrũ, donec in te requiescat. De ratione eius est, quòd omnè bonũ, siue, vt 1. Ethic. c. 8. sufficientiã omnis boni in se claudat principaliter, & essentialiter; & nõ cõnotanter solũ, vt creata. Ideo Deus volẽs se Moysi ostendere, dixit Exod. 23. ostendã tibi omne bonũ. Formalis beatitudo dupliciter considerari potest; vel vt id omne includit, quod hominis ad perfectionẽ spectat; & sic nõ est quid simplex, sed aggregatũ ex omnibus perfectionibus, est Duran. 4. sent. d. 49. Holcot. q. 6. ad 5. Henr. quodl. 13. q. 12. Vigue. de fina. beatit. c. 14. ver. 2. & ipsius Boetii 3. de cõsol. Ita cõsiderata cõtinet primò visionẽ, deinde fruitionẽ, delectationẽ, permanentiã, securitatẽ; & tandem corporis dotes, quæ quatuor sunt; impassibilitas, vt 1. Corint. 15. Mortale hoc induet immortalitatẽ, & corruptibile hoc incorruptionẽ. Agilitas, vt Sap. 3. Tamquã scintillæ in arundineto discurrent. & Esai. 41. qui sperant in Domino mutabunt fortitudinẽ, assument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient, & non laborabunt. Est tertia, claritas, vt Sap. 3. fulgebunt iusti sicut sol.

Quarta

Quarta est subtilitas, de qua Dam. lib. 4. c. vlti. & fundatur super illud Ioan: 20. quòd ianuis clausis intrauit Iesus. Si tamen cōsideretur beatitudo formalis pro eo, quod principale est, & essentiale in ea; est nuda, & clara intellectualis cognitio de diuina essentia, mediāte tamen lumine gloriæ. Si quæ sunt auctoritates repugnātes, vt Ioā. 14. Deum nemo vidit vnquam. & 1. Tim. 6. lucē inhabitat inaccessibilē, quā nullus hominū vidit, sed neq; videre potest: omnes intelligi habent de visione perfectæ cōprehensionis; quo modo essentia diuina ab intellectu solo Diuino videtur, cū ipse solus illi totaliter adæquetur: nō obstat propterea, quin beati videāt immediatè Diuinā essentiā cognitione claræ, & nudæ apprēhēsionis; vbi est principaliter, & essentialiter beatitudo, pro quo multa sunt scripta testimonia: Arist. præterea, & Platonis infinita dogmata ei fauere videtur. Visio tamē hæc dupliciter fieri potest, vel per modū permanentis, vt in patria solūmodò cōtingit: ad quod extat dictum Moysi Exod. 33. Non enim videbit me homo, & viuet: ibi autē non per medias species, cum visio per similitudines obiecti enigmatica sit: sed facie ad faciem contemplabimur 1. Cor. 13. adeo, vt essentia ipsa erit id, mediante quo, & id, quod videbitur. Potest etiam haberi visio de Deo per modum transeuntis, idest per aliquod tempus,

vt contingit Moysi, & legitur Num. 12. & Paulo, de quo 2. Corint. 2. Sed hæc non est perfecta, sicut prior. Est alia beatitudo imperfecta per cognitionem ęnigmaticam,& per participationem prioris in spe: de qua legitur Psal. 118. Beati immaculati in via, & c. Necessarium est denique ad perfectam beatitudinem lumen gloriæ,vt per ipsum ita disponatur & confortetur intellectus noster,vt ad Diuinam essentiam immediatè terminari possit,& illius capax euadere. Substinetur de fide,quoniā fuit determinatum in Concil. Vien.& habetur in Clementinis. Habetur etiam ex script. Psal. 35. Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sed iam videndum est, an omnes æqualiter videant diuinam essentiam; & est sermo de æqualitate,quæ refertur ad visionis perfectionē.i. an visio, qua beati vident Diuinam essentiam, in omnibus sit æquè perfecta: & dicitur quòd non, quia quantò aliqua potentia melius disposita est ad aliquem actum eliciendum; tantò ille actus, cæteris paribus, est perfectior: sed intellectus vnius beati melius est dispositus ad hanc visionē, quàm intellectus alterius;ergo. mai. habetur 2. de Anim. t. c. 24. & 26. min. est clara, cum non omniū beatorum sint æqualia merita;sic neq; lumen gloriæ. Colligitur ex 14. Ioan. In domo patris mei mansiones multæ sunt, & c. vbi secundum Aug. osten-

ostenditur disparitas præmii. Allegatur de pœnit. dist. 4. Habetur præterea Corint 15. alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Stella enim differt à stella in claritate; sic & resurrectio mortuorum. Potest etiam haberi ex Mag. 2. sent. dist. 9. c. 4. & 4. d. 49. prope finem. Firmiter nihilominus tenendum est, omnes beatos sanctissima illa visione perfectè repletos esse, quia iuxta suam capacitatem; ac proinde nihil eis deesse; secus perfectè beati non essent, si quid illis addi posset: & ideo D. Aug. 1. confes. c. 2. tom. 1. inquit, beatus est, qui habet quicquid vult.

ART. VNDECIMVS.

Qui sint effectus prædestinationis, & quæ signa prædestinati?



ACTENVS de causis; de effectibus iam aliqua dicam. Postmodū, vt quæst. cōpleatur, praedestinati signa enumerabo. Tres prædest. effectus recensent Paul. Rom. 8. & D. Thom. 1. q. 23. art. 2. vocationem, iustificationē, & glorificationem. Aduert. est, in paruulis prædestinationem causare solummodo iustificationem, & glorificationem: non autem vocationem; cum

non audiant, neque intelligant. In adultis etiã vocationem. Vocatio, deinde, duplex est; interna, & externa. Interna est, qua Deus fidei lumen infundit. Externa, qua per Cõcionatores, aliosve, trahit ad fidem. Vlterius sciendum est, vocationẽ, vel internam, vel externam duplicem esse, efficacem, vel non efficacem. Efficax est, vbi qui vocatur cum effectu credit; & hic est primus prædest. effectus. Non efficax est, vbi vocatus vocationi resistit. Secundus effectus iustificatio dicitur, quæ fit per gratiam, & charitatem. Vnde qui hunc secundum non assequuntur, licet primum habeant, de numero prædest. non sunt. Matth. 20. multi sunt vocati, pauci verò electi. Tertius effectus est glorificatio, quam non omnes assequuntur, qui iã primum habent, & secundum: at illi solum, qui perseuerant in iustitia vsque in finem. Matth. 10. qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Est insuper Concil. Trid. Sess. 6. can. 17. & Rom. 8. Si dicas, ex Apost. quos Deus vocauit etiam iustificauit, ergo omnes vocati iustificantur: & sic de singulis secundum Apost. incedendo. Resp. Paulum loqui de prædestinatis, sic enim verissimã est eius sententia. Omnes enim, quos Deus prædestinauit, vocauit, iustificauit, & glorificauit; licet præter eos multi etiam sint vocati, qui iustitiã numquam sunt assequuti; & alii iustificati, qui, cũ

non perdurauerint in iustitia, salutem non suscipient. Sed iam de signis; vbi prius dicam, neminem suæ prædestinationis certitudinem habere posse. Habetur primò ex script. Nescit homo finem suum.i.certò,an odio,vel amore dignus sit. Deinde est Concil. Trid.loco cit. c. 12.& can. 16. Si aliquando quis habuit, hoc fuit per reuelationem, vt euenit Danieli, Isaiæ, & bono Latroni in cruce. Quod plerumque non fit rationabiles ob causas,præcipuè ne pariat negligentiam. Non desunt tamen signa aliqua, quibus valet Christianus præcipuè, coniecturam, & spem habere suæ salutis: & hæc sunt bona opera, à nonnullis prædestinationis causa in inferendo vocata; cum in consequentia dici valeat, hic facit finaliter bona opera, ergo censendus est prædestinatus. Numero autem sunt nouem. Primum, vt conscientiam non habeat peccati mortalis. Secundum, vt mori potius paratus sit, quàm offendere Deum, eius præcepta violando. Tertium, non confidere propriis viribus. Prouer. qui confidit cordi suo stultus est. Quartum, non confidere in homine. Ierem. 17. maledictus homo, qui confidit in homine. Quintum, in diuitiis non confidere. Prouer. 12. qui confidit in diuitiis suis corruet. Sextum, non confidere in prudentia, & sapientia huius mundi. Esai. 19. perdam sapientiam sapientum,

& prudentiam prudentum reprobabo. Septimũ, non confidere in honoribus, & fortitudine huius seculi. Amos 6. Veh qui opulenti estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum. Octauum, in solo Deo fiduciam habere. Hest. 13. Nonum, & in ipso sperare: Psal. 7. Domine Deus meus, in te speraui, saluũ me fac, ex omnibus persequẽtibus me libera me. Et Psal. 33. gustate, & videte; quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. His decimum adde, vt exercere opera misericordiæ, de quibus erit sola mentio in extremo iudicio, & per ea præcipue donabitur corona. Omnia tamen vno epilogo complecti possunt, imitatione Christi, iuxta illud Moy. aspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte, id est Christo mõstratum est.

Qui benedictionem suam nunc, & semper mihi largiri dignetur.



QVAESTIO SECVNDA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid Reprobatio sit? Et cur ipsa dicatur simpliciter prasciensia à Theologis, quomodo non dicitur prædestinatio?



E PRAEDESTINATIONE per totam superiorem quæstionem verba feci, cũ autem Reprobatio, & Prædestinatio opposito modo se habeant, & opposita penes se posita magis elucescant, vt est apud omnes vulgariter receptum; ideo de Reprobatione in præsenti quæstione agere intendo, diuidens per articulos, vt consueui, ob doctrinæ facilitatem. Nec diu hac in re morabor; cum ex illis, quæ de prædestinatione dicta fuerunt, pleraque colligi possint, quæ in Reprobationis notitiam facilè ducunt. Opposito enim modo, ex vnius cognitione contrarii aliquo etiam modo dignoscitur & reliquum, vt per Arist. & Auer. 9. Metaph. t.c.3.

& 2. de Anima t. 20. Illa solum absoluam, quæ non paruam patiuntur difficultatem; & primò, Quid sit, & cur ipsa, & non prædestinatio simpliciter præscientia dicatur? Ad primum, Reprobatio in communi sic describitur, Est exclusio alicuius, tamquam indigni, ab aliqua dignitate, vel honore, vel ab aliqua alia operatione; ac si dignus non sit ea dignitate, & honore, vel non aptus pro tali tempore ad talem operationem: quod quidē iudicare, ad superiorem spectat. Specialiter, & propriè, vt Prædestinationi opponitur, sic describi valet, Est alicuius exclusio, tamquam indigni, à gloria Paradisi in perpetuum ob sua demerita; vt eorum omnium, qui fide, & gratia iustificante carent, & sine ipsis ab hac vita decedunt. Vel, vt dicit Sanct. Thom. cui ferè omnes reliqui assentiuntur, Est præscientia iniquitatis cum voluntate permittēdi casum in culpam, & inferendi damnationem pro tali culpa. Legitur 1. p. q. 23. art. 3. & 1. sent. dist. 41. q. 4. art. 1. & de Verit. q. 6. art. 1. Et subdit, reprobationem addere supra præscientiam voluntatem permittendi aliquem peccare; & inferendi pœnam æternæ damnationis; sicut prædestinatio includit voluntatem cōferendi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Quare secundum hanc doctrinam, reprobare idem est; ac Deum permittere aliquem, saltem finaliter pecca-

re & in peccato mori; subtrahendo gratiam, & relinquendo ipsum in puris naturalibus; cum voluntate puniendi, iuxta suorum peccatorum demerita. Quidam Thom. de Argent. 1. sent. dist. 40. q. 1. art. 1. sic de reprobatione loquitur, Est æterna præcognitio mali vsus liberi arb. ratione cuius decreuit Deus aliquē hominem in præsenti vita gratia priuare, & in futura æterna pœna punire. Marsilius lib. 1. sent. q. 41. artic. 1. & Greg. de Arim. ibidem dist. 40. & 41. art. 1. sic definiunt, Est propositum Diuinum non dandi vitam æternam, vel est præscientia ad pœnam æternam. Magister, & Aug. idem, sed paucioribus, explicant. Aiunt enim Reprobationem esse præscientiā iniquitatis quorundam; & præparationem eorundē ad damnationem. Harum omniū descriptionū, quāuis singulæ sint bonæ, illa tamen D. Tho. optima mihi videtur, cum diffiniti naturam, & causas magis explicet, vt per ea, quæ postea dicentur, liquidò apparebit.

Ad secundum; Primò notandum est, præscientiam Dei dupliciter accipi; vno modo impropriè, pro omni eius præcognitione, quam habet de futuris contingentibus, abstrahendo ab hac, vel ab illa præscientia; meritorum, & demeritorum; & sic præscientia etiam prædestinationem complectitur; Immo eodem sumitur modo prædestinatio

ab Aug. contra Pelagianos cap. 1. dicente, Prædestinatio est, præmittendo, præuidendo, & præordinando futurum aliquod. Et Enchir. 99. Deus aliquos iustè prædestinauit ad pœnam, aliquos benignè ad gratiam. Isidorus lib. 2. de Summo bono cap. 6. Gemina, dicit, est prædestinatio, electorũ ad requiem, & reproborum ad mortem. His assentitur Ansel. de Concor cap. 7. dicens, Non solum prædestinatio bonorum, sed etiam malorum dici potest. Alio modo sumitur præscientia strictè, pro sola cognitione damnationis reproborum, vt à prædestinatione seiungitur. Est etiam aduertendum, quod licet huiusmodi Scriptores pro eodẽ accipiant prædestinationẽ, & reprobationem, quatenus præscientia vtramque complectitur, & clarius Aug. 22. de Ciuit. Dei cap. 25. si propriissimè tamen sumatur, non desunt causæ, ob quas reprobatio dicatur absolutè, & simpliciter præscientia, non autem prædestinatio. Prima est, quia cõmune nomen imperfectioribus, ac ignobilioribus aptatur, vt cum bruta animalis nomine absolutè vocamus. Hinc Porphyrius in prædicab. cap. de differentia docet differentias alteratum facientes, idest dissimile, vel accidentaliter distinguentes, cũ ignobiliores sint, simpliciter, & absolutè differentias appellari: eas verò, quæ specificæ sunt, ac in substantiã transeunt, licet perfectiores,

ac nobiliores sint; cũ additamento, & non simpliciter differentias nuncupari. Ratio est, quia simplici nomine ipsarum perfectio explicari nequit. In re nostra; quamuis prædestinatio, ac reprobatio præscientia sint; tamen reprobatio potius, vti species ignobilior, generis nomen retinere debet, ac absolute præscientia nuncupari. D. Thom. 1. dist. 4. q. 4. art. 1. ad 2. huic doctrinæ magnopere fauet. Quem vt intelligamus, obseruandũ est, praedestinationẽ, & reprobationẽ hoc habere commune; quod sicuti praedestinatio, nedum est praescientia, verũ praescientia cũ ordine, & voluntate; est enim praescientia, quae efficaci voluntate aliquos in gloriã ordinat; nõ secus, reprobatio est, non solum praescientia, sed praescientia ordinans aliquos ad poenã aeternã supposita voluntate permittendi casum illorũ. Differentia verò est, quoniam praedestinatio respectu praedestinati non tantum est praescientia, sed causa quoque. Deus namque nedum praescit homines iustos, ac aeterna vita dignos, caeterum eosdem & iustos, ac tali vita dignos reddere dignatur. Reprobatio autẽ, vt reprobatũ aspicit, est vtique praescientia; vix tamen causae rationẽ habere videtur. Licet enim Deus homines iniustos, perditos, ac aeterna morte dignos optimè praesciat, eos tamen nec malos, nec tali poena dignos reddit. Cum habeant ergo

prae-

praedestinati ex diuina praedestinatione non solum vt praesciantur, verum vt iusti, ac boni sint; hinc fit, vt cōmuni nomine explicari non possint, at peculiare quoddam sibi vendicent. Oppositū contingit in reprobatis, qui purum id ex diuina reprobatione habent, vt praecognoscantur; non autem vt mali sint. Hanc rationē, & optimā profecto, reddit Sanct. Thom. cuius in confirmationem valet afferri doctrina Ambrosii super Epist. ad Rom. 9. Vnde colligitur aperte, Deum propo suisse de Iacob vt salute dignus esset; de Esau autem ipsum reprobare; non vt salute indignus redderetur, sed quia de se ita indignus futurus erat. Alia erit ratio, si contemplabimur, id sibi cōmune nomen retinere, quod proprio caret. Proprium enim, quod quartū constituit praedicabile, dicitur de propria passione, atque de diffinitione; vt videre est Arist. 1. Topic. cap. 4. Diffinitio namque semper, soli, ac omni; idest singulis vniuocè eadē sub specie contentis cōpetere debet, & illorum dicitur propria; caeteris autē incōmunicabilis. Ex quo famosa illa sumpsit originē, quòd diffinitio debet conuerti cum suo diffinito; attamen hae omnes verae sunt etiā conditiones propriae passionis. Vnde igitur ortū habuit, vt passio nomen proprii perpetuò sibi vendicarit; diffinitio verò minimè? Omisso, diffinitionem essentiam
 denotare,

denotare, at proprium essentiam comitantia; nulla præterea potest reddi ratio, nisi quia diffinitio proprium habens nomen cõmuni nõn indigebat, & ideo inseparabili passioni renunciauit huiusmodi nomenclaturam. Sic in proposito; non indigẽs prædestinatio cõmuni nomine, vt præscientia diceretur, cum genuinum teneret; ad speciem sibi oppositam dimisit illud. Sed super est, vt non paruam de medio tollam dubietatem. Esset enim qui fortè diceret, cum prædestinatio dicatur aliquando liber vitæ, & crebra de eo fiat mentio in scripturis; cur non idem de reprobatione contingit; vt liber mortis dicatur, & alicubi de eo meminerit scriptura? Dicitur hanc esse diuersitatem, quòd boni habent in Deo quandam peculiarem rationem scientiae, scilicet approbationis, quam improbi nullatenus habent; de quibus solum habet Deus specialem scientiam simplicis notitiæ, communem & bonis, & malis; quare illi, & non hi Sacris vigent in literis.

V ART.

Ad quem spectet reprobare, & quomodo Deus ad reprobationem concurrat?



VEL VT prædestinatio, ita reprobatio suas habet causas; quamuis agentem non eodem modo, vt infra videbimus. De formali per diffinitionem allatam satis constat. De materiali, atque finali in præcedenti quæst. clara potest haberi cognitio. Reliquum est igitur, vt aliqua de agente perscrutemur; & ea primò, quæ hic proponuntur. Quare sit prima conclusio, Ad Deũ spectat aliquos reprobare: prob. Ad Deum spectat iudicare aliquos indignos æterna vita propter ipsorum peccata: vel aliquos ab eadem aeterna vita refellere; sicuti ad eundem pertinet æterna praemia bonis elargiri: ergo ad Deum spectat homines reprobare. Praeterea, reprobatio est pars prouidentiae, sicut praedestinatio: ad prouidentiam spectat omnia in ipsorũ finẽ ordinare, ac aliquos defectus tolerare ad bonũ publicum; ergo ad Dei prouidentiam pertinet, vt permittat aliquos cadere, & ab vltimo fine deuiare; cum prouidẽtia Dei sit vniuersalis. At ne durum hoc videatur, optimè inspiciendum est; quòd sicuti Deus naturas dedit

dedit rebus, & quantum est de se dirigit in bonũ finem: tamen propter corruptionem aliquam in semine plantae, vel in semine animalium, vel in aliqua re naturali, fit deuiatio à fine, & monstra contingunt in natura; sic & hominibus libertatẽ arbitrii largitus, & quantum est de se, omnem hominem dirigit in bonum; tamen propter corruptionem aliquam in appetitu fit deuiatio à fine; & illud non consequimur bonum, ad quod nos dirigit Deus. Sicut ergo in naturalibus valeret Deus efficere, vt naturalia semper finem suum consequẽrentur, & quòd nullũ contingeret in natura monstrum; ita in gratuitis quoque valeret omnẽ immũtare voluntatem ad bonum, vt nemo penitus à debito, & congruo fine deuiaret. Quia tamen maximè Deum decet sic res administrare, vt proprios ipsarum cursus illas agere sinat: nec secus, vbi liberum arbitrium homini dederit, ipsum decet nos ita in bonum dirigere, vt liberè nostros progressus nos agere sinat.

Si quis contra opponeret, Reprobatio de se mala est, vt patet; ergo non potest à Deo intendi, cum optimus sit; ergo ad ipsum non spectat homines reprobare. Resp. dato, reprobationem absolutè sumptam, idest non supposito peccato, pro ipsa punitione, bonam non esse, nec ita à Deo volitam, cum sic numquam Deus aliquem repro-

baret. Attamen si huius, vel illius reprobatio sumatur, vt ordinata est ad manifestandam Iustitiam punitiuam, vtque ad primum effectum relata, bona, condecens, Deoque maximè conueniens censenda est; omni etiam alia causa seclusa, qui per se vult manifestare iustitiam suā: ad quod si quorundam sequatur perditio, & pœna, non est principalis intenti, sed per accidens, vt est D. Thom. 1. q. 19. art. 9. Hæc solutio patitur difficultatem; extat enim vulgaris propositio, quòd volens finem, etiam quæ sunt ad finem maximè studet. Si ergo Deus per se vult punitiuam Iustitiam ostendere; per se quoque vult peccatores, in quibus talē ostētet iustitiam; cum pœna iustè illata sine culpa esse nequeat. Dicitur primò ad illam mai. veram esse in his, quæ per se primò intenduntur; quorū hæc est natura, vt & finis, & singula media ad ipsum, ab eodem, qui finem intendit, intendantur. Non est autem vera in his, quæ per se nō primò intenduntur; quorū natura est, vt cum ipsa bona sint, occasionentur ab aliquo malo, quod non intenditur ab eo, qui finem intendit; de quorum numero est iustitia punitiua. Deinde dicitur Deum velle & finem, & ea, quæ sunt ad finem; non tamen cōceditur peccatores ad talem iustitiam manifestandam simpliciter, & necessariò concurrere. Non enim per se concurrunt peccatores ad huiusmodi mani-

manifestationem, sed occasionaliter solum. Quare dici potest quòd velle finem in hoc casu non est propriè causa ipsi Deo volendi ea, quæ sunt ad finem. Nec est ignorandum, quòd sicut Diuinus intellectus vnico actu intelligit principia, & conclusiones; item præmissas conclusionis esse causas: ita vnico, simplicique actu Diuina voluntas vult finem, & media ad talem finem. Cum autē dicitur, nisi essent peccatores, neque talis esset iustitia: tunc logicè dicitur, conditionalē in esse nō constituere: quare non ideo est punitiua iustitia, quia peccatores sunt. Et si iterū dicatur cū Bernardo, Tolle peccatū, & non erit Infernus. Cōmuniter respondetur, de pœnis ibi verba fieri, nō autem de Inferno, cum iam fuerit ante omnes peccatores. Secundò sic, Reprobatio est horrenda ex Aug. in lib. de Confess. ergo turpis; ergo Deo non conuenit, cum nulla sit in eo turpitudo: Resp. quòd licet reprobatio horrida videatur, ac turpis ipsis damnatis: tamen, vt actus voluntatis Diuinæ, pulcherrima est. Tertiò, Misericordia Dei generalis est; vt ex Apostolo colligitur Rom. 9. ergo ad omnes se extendit; ergo neminē reprobat. Clara est ratio, resp. tamen, misericordiā dupliciter sumi posse, vel secundū sufficientiā, vel efficientiam. Secundū sufficientiā generalis est, ad singulos generū se extendens; quoniā Dei misericor-

dia,quantum est de se, sufficiens est ad omnes saluandos, immo parata est ad omnes se extendere, vt melius infra. At secundum efficientiam generalis est,non absolutè;sed quantum ad genera singulorum; idest quòd de quolibet hominum genere, vel ritu, aliqui salui fient. Nec obstat quartò quod Sap. 11. legitur, Diligis omnia,quæ sunt; & nihil odisti eorum,quæ fecisti. Non ideo enim sequitur,quòd Deus neminem reprobet;cum auctoritas illa sit intelligenda quantum ad esse naturale, non quantum ad beatitudinem Nec minus obstat quintò, si diceretur iniustè Deũ agere, si aliquos reprobaret, aliquos verò nõ;supposito quòd omnes simus æquales, vel in natura, vel in originali peccato; hoc enim verum esset, vt dicit S. Thom.si essemus in his,quæ ex debito traduntur; at cum simus in gratuitis, cessat difficultas. Iam si quis peteret, Reprobatio est ne actus intellectus, an potius voluntatis? Dicerem, vtrumque per ipsam significari; diuersa tamen ratione.Cum enim aliquod esse verum iudicamus, illud pro tunc approbare dicimur; reprobare verò, si idem fortè falsum existimaremus. Vlterius,quando altero cõfutato alterum eligimus,illud idem approbare dicimur; cum verò refutamus, reprobare iudicamur. Habetur ergo, reprobationem sumi posse pro iudicio,quo Diuinus intellectus ab æterno iu

dicauit

dicauit quosdam homines indignos fore vita æterna, quomodo erit actus intellectus. Deinde etiam pro eo, quod est aliquos refutare, & sic erit actus voluntatis.

Sed iã maxima occurrit difficultas, Quomodo Deus ad reprobationem concurrat? Vbi notandũ, cum D. Thom. 1. q. 23. art. 3. in solutione secundi, tria reperiri in homine reprobato; permissionem culpæ, culpam ipsam, & pœnæ inflictionem pro tali culpa. Deus primi causa est, atque tertii; non autem secundi, scilicet culpæ, quæ à solo defectu liberi arb. est. In quo maximè differt reprobatio à prædestinatione; nam prædestinatio omniũ causa est, quæ prædestinato contingunt, tum in hoc, tum in alio seculo; vt gratiæ, meritorum, & gloriæ. Minimè autem reprobatio: quamuis enim sit causa pœnæ, nullo pacto est causa culpæ.

His ita expositis ponitur. Conclusio, Circa permissionẽ habet Diuina voluntas actum positiuũ. Primò, quia Deus mala permittit; ergo vult illa permittere. Secundò, Deus est causa permissionis culpæ; ergo vult permissionem culpæ.

In contrarium est, quia hoc stante, sequitur Deũ esse culpæ participem, cum consentire videatur; & consentiens eiusdem sit conditionis cum agente. Vnde vulgaris illa, Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur. Resp. quòd, cum Deus infiniti

sit

sit vigoris intensiuè, vt cum veritate Theologi te nent, (quicquid dicat Auer.) multa posset facere de potentia absoluta, quæ fieri tamen ordinariè non expedit; cum sic reliquerit causas secundas in ipsarum libertate, vt secundum naturæ cursum operentur. Homo autem liberũ habet arbitriũ, quo benè, vel malè valet operari. Benè inquam gratia Dei adsistente: contra Pelagium, & Celestium Monachum; vt determinatũ præcipuè fuit in Concil. Aphric. Carthagine celebrato, vbi fuerunt 218 Patres, & in Concil. Mileuit. sub Innoc. 1. Posset igitur Deus, absolutè loquendo, ne ista mala fierent prohibere; non tamen decet, cũ hoc esset hominẽ arb. libertate priuare. Præcipuè hoc seruatum fuit in primo parente, quem iustè permissit Deus cadere, vt ageret secundum libertatẽ arbitrii sui. Immo, cum ipse omniũ sit Dominus, & prouisor Vniuersi, eius est permittere aliquos defectus; nõ quòd malum principaliter intendat; sed vt inde commune bonum apprimè conseruetur. Quod nequaquam contingere valet prouisori alicuius Reip. particularis, qui non debet permittere, vt mala fiant; cum ex illis bonum aliquod elicere non valeat. Aduertendum deinde est, quòd permittere, est auxilium suum ab aliquo subtrahere, & sumitur duobus modis; propriè, & impropriè. Propriè idem est, quod consen tire

tire alicui malo, concurrere vt causa, & complacere sibi in illlo; quando taliter permittens fit mali particeps: de Deo id numquam asserendum est. Impropriè autem permittere idem est, quod tolerare, vti non inconuenit Deum permittere mala. Vel sumitur vno modo pro omnimoda destitutione; ita quòd Deus quasi prolata sententia omne auxilium subtrahat alicui in perpetuum ob pœnā præcedentis peccati: & hoc modo Deus non dicitur permittere; quia si tali modo permitteret, esset malorū causa; quod absit ab ore Christianorū. Alio modo permittere, est aliquē sinere in sua libertate, cui semper Deus est paratus gratiā tradere, & tradit; dummodo ille faciat quod in se est, ordinatū ad talem gratiam, & vocationi non resistat; & sic Deus permittere dicitur; vnde non est fas colligere, quòd ipse sit causa peccatorū nostrorū. Si quis autem vim faceret in illa dictione, positiuè, & in contrariū poneret, Reprobare aliquē est illi non velle summū bonū, hoc non dicit actum positiuū, ergo. Iterū à Contrariis, Prædestinare est hominibus velle bonū, ergo reprobare est iisdem nolle tale bonū, vt puta vitam æternā. Vtriusque rationis negatur assumptū. Nam reprobare non est, vt multi existimant, Deum nolle concedere alicui beatam vitam negatiuè: sed est velle permittere, seu tollerare casum alicuius; ac eo

X præ-

præmisso velle eundem à vita æterna seiungere. Sed iam magna vrget difficultas; his enim positis consequi videtur, quòd homo sine gratia, & peccato decedens sit reprobatus; cum Deus nollet positiuè dare huic vitam æternã. Ideo dicunt aliqui Deũ in hoc casu nullum actum habere positiuum circa hunc hominem, nam, vt ipsi dicunt, neque vult, neque non vult dare vitã æternam. Sed quia hi non remouent difficultatem, cũ à parte rei gloriam Deus illi deneget; ideo aliter dicendũ est; scilicet posito tali casu, hunc hominẽ, cui ita constituto valeret Deus gloriã elargiri de potẽtia absoluta; sicut itidem de potentia absoluta eundem in puris naturalibus, neque in gratia, neq; in peccato nouiter creare, & extra massam: reprobatũ non esse; ratio est, quoniã reprobatio est nolle dare alicui vitã æternam, non simpliciter, sed in pœnam propter peccatum præuisum. Quare optimè dicit D. Thom. reprobationem necessariò supponere voluntatem permittendi casum alicuius.

Secunda Conclusio, Deus circa culpam nullũ habet actum positiuũ. Prob. Malũ culpæ non est à Deo; ergo non est volitũ à Deo: sed neque nolitum. Deus enim neq; vult mala culpæ fieri, quæ fiunt, neque vult non fieri. Vlterius si poneretur, Deum esse causam mali culpæ, manifestè sequeretur Deũ non esse Deũ; quod simpliciter impossi-

 bile

bile est. Probatur cõsequentia, nã malum, vt malũ est, non nisi à malo procedit; si ergo Deus esset causa mali, ipse quoque malus esset. Dicere autẽ Deũ esse malum, implicat contradictionẽ; cum idem esset, ac si diceretur, Deus non est Deus: quod cum sit inopinabile, firmissima remanet conclusio.

Si quis audacter opponeret; Sicut velle Dei causa est, quòd hic gratiam habeat, qua benè operetur; ita nolle Dei causa est, ne ille gratiã habeat, qua deficiente malè operatur: ergo causa est, vt ille malè faciat. Consequentia probatur, quia causa causæ, est causa causati; vt vulgariter vsurpatũ. Proportio autem inter præmissas tenet ex Arist. 1. post. Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis. Vt optimè huic satisfiat, dicendum est, Quòd sicuti Deus non est causa totalis, cur hic homo gratiã habeat, sed maximè requiritur motus liberi arbitrii, & conatus: ita neq; totalis causa est, vt ille gratiam non habeat, sed cõcurrit etiam impedimentũ, vel obex, quem ipse interponit, quod in se est minimè faciens. Cũ autem ad aliquẽ effectũ duæ concurrunt causæ particulares; altera ipsarũ deficiente non sequitur effectus. Vnde, cum ipse solus Deus, iuxta legem cõmunem, non possit infundere gratiam; sed homo etiã ad id concurrere debeat, se disponendo;

si postmodũ ipse obicem ponens, gratiamquè renuens ob eiusdem carentiam incidat in peccatũ; sibi, & non Deo adscribendũ est. Ad illam Arist. regulã resp. intelligendã, esse de causa totali, vt hic non contingit. Idem ad illam, Quicquid est causa causæ est causa causati. Nam, vbi aliqua causa est alterius totalis causa, est etiã causa effectus illius causæ, cuius ipsa causa est. Venetus 2. Phys. t. c. 30. aliter glosat. Dicit enim non esse verã, nisi eodẽ in genere causæ. Quæ expositio optima mihi potius videtur ad aliud perimendũ argumentũ fieri consuetum in hac materia. Solent enim quidam dicere, Deus est causa liberi arb. Liberũ arb. est causa culpæ, ergo Deus est causa culpæ. Consequutionẽ corroborant per illam maximam; quae profectò in hoc casu non ligat. Non enim eodẽ modo, quo Deus est causa liberi arb. postea liberum arb. est causa culpæ. Deus enim est causa positiua liberi arb. sed liberum arb. est causa defectiua, seu priuatiua actus culpabilis. Sed cõtra, Omnis effectus est à Deo, quia etiã secundum philosophos causa secunda non agit, nisi prima cooperante, & secundum D. Hierony. ne minimũ quidem folium sine nutu Dei ad terram cadit: nam causalitas diuina est omniũ prima, & in omnibus concurrit per Aug. 3. de Trinit. cap. 4. & super Genes. 4. cap. 14. Et Act. 17. legitur, In illo viuimus, mouemur,

uemur,& sumus. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Ergo & ad actum culpabilem. Vt hæc instantia penitus tollatur, ignorandũ non est, quosdam fuisse Theologos, vt referunt S. Thom. & Ricc. qui nescientes distinguere inter actiones humanas, & deformitatẽ, siue malitiam illis adnexã; dixerunt actiones peccatorum nullo pacto esse à Deo. Contra quos ita argumentor, Si actionis peccati voluntas humana duntaxat causa esset, & ad eam Deus non concurreret; sequeretur, quòd voluntas humana esset primũ principium illius operationis. At fieri non potest, creaturã esse primũ principium; cum hoc solius Dei sit; igitur nec possibile est, quod ipsi ponũnt. Si dicerent voluntatem humanã non esse primum principiũ, quamuis ipsa sine vllo adminiculo ipsius Dei operetur huiusmodi actiones; quia de ratione primi principii non solum est esse agens primũ; verum vt ab alio non dependeat. Cum autẽ voluntas humana habeat esse à Deo; nũquam erit primũ principium. Tunc in oppositũ sic dicerem ex concessis: voluntas humana non habet esse à se, ergo voluntas humana non operatur à se. Nam operatio consequitur virtutem, & virtus essentiã; ergo quod ab alio habet essentiã, ab alio quoque habet vim operandi. Et si ab alio habet vim operandi, ergo non est primũ agens. Secundò, omnis actio, quatenus

actio est, res est, & natura aliqua; sed omnis res, & natura à Deo est, ergo omnis actio, quantumuis peccati, à Deo est; cum fateamur in Symbolo nostræ fidei, Deum omnium rerum esse Creatorem. Melius igitur considerando, dicendum est, quòd quando duæ causæ concurrunt ad productionem alicuius effectus, altera quarũ sit perfecta, & altera imperfecta; quicquid perfectionis in effectu reperitur, tribuitur causæ perfectæ; quod verò imperfectionis erit, causæ imperfectæ. Sic ad actionem peccati duæ causæ concurũt, Deus, & creata voluntas. Si igitur aliquid perfectionis erit, Deo tribuetur: quicquid imperfectionis imputabitur voluntati, quæ erit causa illius deformitatis, & malitiæ. Vnde dicebat Aug. de natura boni cap. 21. omnia fieri Deo coadiuuante, præter ea, quæ destruunt naturam, vt peccata sunt. Exemplũ, Actus legitimi matrimonii, idest accessus ad propriã vxorem, in genere naturæ similis est actui, quo aliquis accedit ad non suam: sed actio matrimonii, inquantum naturalis, & virtutis vegetatiuæ etiam à Deo est, ergo & actus adulterii, quatenus actio est in genere naturæ, res est bona in eo genere, ac proinde à Deo. Deformitas autem, vel malitia, quæ complent rationẽ peccati, à Deo non sunt, sed ab ipsa voluntate deficiente. Nec conuincũt, si dicãt alii, quosdam esse actus intrinsecè malos,

vt ipsi nominant; sicut est mendacium, & similes; qui actus nulla potentia fieri potest, vt boni sint. Sunt enim mali ex se, non quatenus actus sunt, sed ea ratione, qua connexam habent malitiam, & coniunctam deformitatem. Et vt clarius hoc appareat, inter omnes malos actus odium Dei est pessimus; verum illius substantia simpliciter non est mala; nã substantia eius est, velle malũ; possumus autẽ alicui licitè malũ velle, vtpotè demoni. Verũ cum adiunctũ est huic actui, quod est velle malũ ipsi Deo, quẽ odio habent damnati; tunc ex parte malitiæ, & deformitatis adiunctæ ab ipsa voluntate malus actus euadit. Sed adhuc oritur difficultas; quoniã ex dictis habetur, Deũ quodãmodo cooperari his, qui malè agunt, ergo ipse etiam malè agit, quia cooperans ad peccandũ ipse quoque peccare dicitur; quod nihilominus de Deo non est asserendũ. Resp. aliquẽ alteri cooperari ad peccandũ, stat dupliciter; vel ad actionẽ tantum, vt Deus benedictus dicitur nobis cooperari; & sic non peccat: vel ad actionẽ, & deformitatem simul, quomodo peccare dicitur. Vtiq; igitur nõ est asserendũ, Deũ esse simpliciter causam peccati; sed esse solũ causam actionis peccati. At si fortius vrgeas, Deus est causa actionis, ex concessis; sed actioni connexa est malitia, ergo Deus est causa malitiæ. Tunc nego consequentiam; quo-

niam in simili non sequitur, A natura, tamquam à causa, oritur potentia videndi; sed potentiæ connexa est cæcitas, ergo à natura est cæcitas; cum cæcitatis causa non sit à natura, sed visus tantum: causa autē cæcitatis est defectus ipsius potentiæ. Ita causa actionis erit ipse Deus; malitiæ autem erit ipsa voluntas creata. Infallibiliter igitur concludendū est, omnem effectū, qui dicit ens, esse à Deo; at cum peccatū sit priuatio entis, per Dionys. in lib. de Diui. nomin. sequitur quòd à Deo minimè sit.

Extat tertiū argumentū contra principalem assertionem ex multis auctoritatibus scripturæ conflatum. Obstinatio, & animi durities peccatū est: Sed Deus dicitur excæcare aliquos, & aliquos indurare, Vnde Paul. Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: dicitur etiā tradere nōnullos in reprobū sensum, Rom. 1. ergo Deus habet actum positiuū circa malū culpæ. Ex quibus scripturæ locis, & similibus occasionē sumpserunt errandi; & peruersè quidē, Martinus Bucer, & Caluinus, qui dixerunt Deū esse causam peccatorum nostrorū. Pro erroris igitur ipsorū, & argumenti confutatione, explicandæ sunt omnes propositiones adductæ; quarū triplex potest esse sensus. Primò enim posset quis intelligere, ita Deū indurare, & excæcare; vt sit causa efficiens cæcitatis, &

duritiei, quas ipse imprimat cordibus hominum; quod asserere idẽ est, quod execrari. Hoc modo sumpserunt nonnulli hæreticorum nostræ tempestatis, moti ab eo, quòd Sacræ literæ tribuere videntur duritiem, & cæcitatem ipsi Deo, tamquàm auctori. Ita enim habetur Exod. Ego enim indurauí cor eius, scilicet Pharaonis, & seruorum illius. Iterum, indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimissit filios Israel. Secũdus sensus est; non quòd intelligamus, Deum immittere cordibus hominũ cæcitatem, vel duritiem: sed aliquo pacto destituere hominem illis auxiliis, quibus si esset adiutus emolliret cor suum: & denegare eas inspirationes, quas si concederet, expelleret homo omnes tenebras á corde suo. Non quòd intelligamus Deũ priuare hominem existentem in peccato, omni auxilio, & fauore; ita vt voluntate absoluta statuerit nullum illi auxilium præbere: hoc enim à veritate alienum est, & scripturæ contrarium. Apocalyp. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cũ illo, & ipse mecum. Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Ezech. 18. Quacumque hora peccator ingemuerit peccatum, iniquitatẽ eius amplius non recordabor. Ex quibus apparet, semper Deum adiuuare homines aliquibus auxiliis,

vt reſcipiſcere valeāt, & ad ipſum conuerti; quā-uis non omnibus tribuat efficaciſſima ad conuerſionem. Hæc enim quibus vult impertitur, electis præſertim & prædeſtinatis. Tertius ſenſus eſt, vt dicamus, Deum indurare, & excæcare hóc modo; vt hominibus propter ipſorū præcedentia peccata varias offerat occaſiones; quibus ipſi, ſi legitimè vterentur, maximè adiuti poſſent ad Deum conuerti. Quod factum legimus Pharaoni, cui fuerunt adhibita tot miranda ſigna, quibus excitatus potuit populum dimittere; ac ad Deum conuerti. Quia tamén illis abuſus fuit, ſeipſum maximè indurauit; cuius indurationis non Deus, ſed propria ipſius voluntas cauſa fuit. Plerumq; enim ita euenit; vt permittat Deus propter hominum peccata; vt illis occaſionibus, quibus conuerti poſſunt, ſeipſos magis indurent. Vbi nō eſt omittendum, quandoque Deū propter hominū facinora permittere Prophetas falſa prædicere. Ezech. 14. Iuxta iniquitatem interrogantis erit iniquitas Prophetæ, & ego ero ſpiritus mendax in ore Prophetarum. Non quòd Deus Prophetas inducat ad falſum pronunciandum: ſed permittit propter aliorum peccata eos quandoque mentiri; & ex proprio ſpiritu loqui, & non Diuino. Facit ad hoc Aug. dictum, Deum ſcilicet inclinare hominum voluntates ad bonum ſua miſericordia; ad

malum verò propter ipsorum peccata. Aduertendum tamen est, quòd inclinare ad malũ hoc in loco idem est, quod malum permittere, siue tolerare: quod & ipse Aug. ad Simplic. exposuit inquiens, Nihil aliud est Deũ indurare, quàm gratiæ suæ auxiliũ non impertire; non quòd hominem, quantumuis perditũ, quouis fauore destituat, & quòd illi, si se disponat ad gratiã, non infundat; vt cautum est per Concil. Trid. Sess. toties citata, can. 17. sed quia superabundans, & efficacissimũ auxilium illi non præstat. Idem de prædest. Sanct. 21. clarè ostendit obdurationem, & excæcationẽ Deo non esse tribuendã, vt ipsarũ auctori; sed propriæ hominũ voluntati. Vnde, quòd Pharao obstinatus permanserit, & Nabuchodonosor fuerit conuersus; eo factũ fuit, quòd alter flagella sentiens compunctus fuit, alter propriã sequutus voluntatem seipsum indies magis, indurauit. Idẽ ostendit Paul. Rom. 2. An ignoras, inquit, quòd benignitas Dei te ad pœnitentiã adducit; tu autẽ secundũ cor tuum thesaurizas tibi irã in die vltionis, & iudicii. Ex his patet interpretationibus, nihil contra nos habere propositũ argumentum. Si breuiorẽ cupias responsionẽ, dicas in excæcatione, ac obduratione duo reperiri. Primũ est, motus animi malo inhærentis: qua ex parte Deus obdurationis causa non dicitur, neq;

excæcationis; ficut neque caufa eft peccati. Aliud eft, fubtractio luminis Diuini, & Diuinæ gratiæ; & ex hac parte Deus dicitur alios indurare, & excæcare; nō pofitiuè, fed priuatiuè. Dicitur enim eos excæcare, quorū mentes non illuminat: & eos indurare, quorum corda non emollit.

Tertia Concl. Circa malū pœnæ habet Diuina voluntas actū pofitiuum in reprobatione. Prob. Deus eft caufa omnis pœnæ, quā mali patiuntur; ergo pofitiua volūtate vult illis hoc malū. Quod veriffimū eft, non folum de pœna fenfus; verum etiam de pœna damni. Sicut enim Deus pofitiuè vult illos perpetuis effe in tormentis; ita pofitiuè vult eofdem perpetuò carere æterna Dei vifione.

Sed obiicitur. Si Deus habet actum pofitiuū circa malum pœnæ; cum fæpe vnū peccatū fit in pœnā alterius, vt habetur ex Paul. Rom. primo: Propter quod, ideft quia ficut cognouerunt Deū, ipfum non coluerunt; tradidit illos Deus in defiderio carnis eorū: ergo poteft Deus habere actū, & voluntatem pofitiuā circa malū culpæ, quod eft falfum, vt iam probatum eft. Refp. vnum peccatum effe pœnam alterius non propriè, & per fe; vt dicit D. Greg. fuper Ezech. & D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 2. quia de ratione pœnæ eft, vt inuoluntaria fit: de ratione verò peccati, vt voluntarium; & fic dixit Aug. malū culpæ illud eft, quod voluntariè

tariè agimus, sed malũ pœnæ, quod patimur. Vel, quod idem est; peccatũ, quatenus dicit culpã, & voluntaria est, non potest esse pœna alterius peccati. Si largè, & ex consequenti; vel, vt alii dicunt, per accidens loquamur, non est absurdum vnum esse in pœnam alterius; quod variis modis contingit. Primò, quando aliquod inuoluntarium per se concomitatur, vel subsequitur actum peccati; vt cum Infamia insequitur peccatũ. Secundò, quando peccatum connexam habet transmutationem corporis; vt, cum aliquis viso inimico, scandescit in vehementem iram; quod non fit absque graui pœna, & corporis alteratione. Tertiò, quando peccatũ res est difficilis, atque laboriosa, inferens pœnam peccanti; iuxta illud Sap. 5. Ambulabimus vias difficiles. Modò ad argumentum dicitur, quòd sicut Deus solummodò est auctor pœnæ peccati per se, non tamen pœnæ peccati per accidens; ita tantummodo potest habere actum positiuum circa malum pœnæ per se, & non circa malum pœnæ per accidens. Secundò sic arguitur, Deus omnia diligit Sap. 2. hominẽ præcipuè, ob quem proprio filio non pepercit: sed aliquem diligere, est illi bonum velle; ergo Deus nulli ex creaturis rationalibus vult positiuè malum pœnæ. Dicitur, Deum omnes homines diligere amore generali, & omnibus velle bonum vtile; scilicet,

 esse;

esse; Sed non omnibus omne bonum vtile; cum illis tantum, quos amore speciali prosequitur, vt sunt illius præcepta seruātes. Tertiò sic, Deus est summè misericors; immo maior est misericordia sua, quàm hominū iniquitates, vt concinunt Scripturæ. Munus autem misericordiæ in Deo, est liberare nos à miseriis, ergo à pœnis Inferni, quæ omnium sunt grauissimæ. Resp. non esse munus misericordiæ Dei liberare omnes à singulis miseriis; sed ab illis solum, à quibus videtur consonū rectissimo iudicio suo. Constat autem rectissimo iudicio, & sapientiæ Dei aliquos non debere totaliter à miseriis liberari. Semper tamen punit citra quàm dignum, vbi satis misericors apparet.

Ex visis, paucioribus potest satisfieri quæstioni. Deus in reprobatione habet actum positiuū; non circa culpam, sed circa eius permissionem, & circa malum pœnæ. Vult enim Deus ab æterno permittere hunc cadere in peccatum. Deindè per missso peccato, & finali eius impœnitentia, vult illi pœnam æternā, tum sensus, tum damni in adultis; damni solum in pueris absque baptismate decedentibus. Aduertendum tamen, quòd licet Deus positiuè velit reprobis permissionem culpæ, & inflictionem pœnæ: est tamen maxima differentia. Primum vult nullo habito respectu ad peccatū; secundum non nisi præuiso peccato. Vnde nemini vult

vult pœnam sensus, nisi præuiso peccato; sicuti neminem excludit à vita æterna, quæ omniũ pœna est grauissima, nisi præuiso peccato. Idem insinuare videtur Paul. Rom. 9. dicens Deũ dilexisse Iacob, & odio habuisse Esau; odium namque actum positiuũ denotat. Et colligitur ex Genes. 25. vbi hoc dictum fuit sub his verbis, Maior seruiet minori; idest maior erit reprobatus, & minor approbatus. Et hoc fuit dictum post eorũ conceptionem in vtero, sed ante natiuitatem ex vtero, quo tempore pueri adinuicem luctabantur. Expressè habetur etiam Malach. 1. qui Propheta, quamuis fuerit longè post illos, inspiratus tamen à Domino prophetauit de illorum approbatione, & reprobatione.

ART. TERTIVS.

An detur ex parte nostra causa demeritoria reprobationis?



VISO, ad quem spectet reprobare, & quomodo Deus ad nostram reprobationem concurrat: videndum est, an detur ex parte nostra causa demeritoria nostræ reprobationis? Et sensus est, an Deus pro libito quosdam reprobauerit; vel potius habita

ta demeritorũ ratione ab æterno præuisorum?

Variæ sunt opiniones. Prima absque distinctione tenet nullã habere causam à parte nostra. Contra quam argumentor, & primò, Reprobare est odio habere; at odio aliquem habere, est illi malum velle: Deus autẽ piissimus nemini vult malum sine causa; ergo reprobationis datur causa. Secundò, Deus illos reprobat, quibus non vult voluntate consequenti vitam æternam: sed voluntate consequenti, & efficaci neminem vult à se excludere, nisi supposita culpa: si ergo voluntatis consequentis datur in nobis aliqua causa, dabitur etiam causa reprobationis. Tertiò, Reprobatio est opus iustitiæ, ergo non potest esse iusta, nisi respectu culpæ. Quartò, Reprobare, est iudicare aliquem indignum aliquo honore, & dignũ pœna, ergo supponit culpam. Sola enim culpa potest facere hominem indignum æterna vita. Vltimò, Videtur durum, & crudele; neque Diuinæ misericordiæ consonum, vt absque culpa aliquos reprobet.

Secunda opinio est, quæ nõnullis videtur Aug. in Epist. ad Sixt. 105. & lib. 1. ad Simplic. q. 2. & de Prædest. & grat. cap. 3. & de prædest. Sanct. & in Enchir. à cap. 94. ad 100. Quibus in locis duo videtur asserere. Primum, quòd peccatũ originale causa est generalis, & cõmunis in omnibus reprobatis.

batis. Secundum, quòd actualia peccata nõ sunt causa reprobationis. Primum sic declarat: Deus ab æterno vidit totam massam naturæ humanæ infectam propter peccatũ primi hominis; deinde ex hac massa sic infecta, & præuisa Deus ab æterno, vt ostenderet diuitias misericordiæ suæ, quosdã elegit, alios verò in massæ infectione reliquit, ac reprobauit: non iniustè; cũ hoc deberetur tali infectioni. Vnde quos liberauit, misericordia liberauit: & quos damnauit, iustitia damnauit. Probat secundum ex Epist. ad Rom. 9. vbi Paul. docet, Deũ alterum elegisse, alterũ verò reprobasse, nulla habita operum ratione. Vnde sumit hoc argumentum. Eadem est ratio Esau, & aliorum reprobatorum; sed Esau reprobatus est non propter præuisa demerita, ergo neque alii.

Hæc opinio re vera non est satis tuta, quia falsum videtur primò, peccatũ originis esse causam reprobationis omnibus in reprobatis, cum multis reprobis Deus tale peccatum dimittat; in quibus per consequens, reprobationis causa dici non potest. Patet hoc expressè, cum ex baptizatis in lege noua, & ex circumcisis in lege veteri multi sint in Inferno, quibus iam originale peccatũ dimissum fuit; totaliter autem dimissum non potest esse causa reprobationis; alioqui puniret Deus peccatum iam semel dimissum. Falsum præterea videtur,

actualia peccata non esse reprobationis causam. Nam si originale peccatum præuisum causa est reprobationis, à fortiori peccata actualia præuisa. Ideo numquam mihi suadere potui, hanc germanam Augustini fuisse sententiam; præcipuè, cum huic opposita, quæ infra habetur, cõmuniter Aug. imponatur; & clarius appareat ex suis dictis. Si quis autem pertinaciter asseueraret hanc veram esse Aug. opinionem, vtpote, quòd eam aliquando tenuerit, sicut ex locis iam citatis colligitur; tũc puto eam sic intelligendam. Quòd vbi Aug. asserit, peccatum originis esse causam reprobationis omnibus in reprobatis, nullam faciens mentionẽ de actualibus: hoc ideo facit, non quòd intendat excludere actualia; sed quia peccatũ originale radix est omnium aliorum; vbi actualia ipsa implicitè complecti voluit. Si instaret dicens, Augustinũ dictis in locis expressè reiicere peccata actualia, & velle solum originale peccatũ esse causam reprobationis; tunc & ipse dicerem, Aug. loqui de primo effectu reprobationis; non simpliciter, sed supposito, & præuiso peccato originis: & loquor de facto; nam de facto Deus permittit aliquem cadere propter peccatũ originale. Et quia sic glosantem Augustinũ oportet etiã soluere argumentũ iam contra ipsum propositũ; ideo dicitur, quòd licet originale peccatũ semel remissum in baptismo,

mo, vel in circumcisione, non possit esse causa reprobationis in his, quibus est remissum: vera tamen potest esse occasio; quoniam, hoc etiã dimisso peccato, remanent in nobis reliquiæ, & effectus illius, vti sunt, ignorantia, pronitas ad malum, & rebellio inter carnem, & spiritum: propter quæ sæpe cadimus, & ideo peccatum ipsum dici potest occasio talis casus.

Tertia opinio est Soti, Rom. 9. ac aliorũ, qui sic distinguunt. In quibusdam solum peccatum originale causa est reprobationis, vt in paruulis: in quibusdam solum peccatũ mortale actuale: & in quibusdã vtrumque, vt in infidelibus, qui iam adulti moriuntur. Putant hoc dictum esse ad mẽtem D. Aug. At dato, & non cõcesso, quòd eorũ opinio sit vera; falsissimum tamen est, quòd sit Aug. cum secundum eius doctrinam, Esau non fuit reprobatus ob demerita, ergo neque alii. Deinde, Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere; sed huius permissionis ex parte nostra non datur causa, ergo. Est aliud validissimum argumentum, Nemo potest cadere, nisi Deus permittat; secundũ Aug. in Ench. 95. Nihil fit, nisi Omnipotens velit fieri, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo: ergo prius Deus permittit hunc cadere, quàm cadat: sed huius permissionis in nobis non datur causa præter Dei voluntatem,

ergo. Nec ibidē inficiatur Sotus neminē posse peccare, nisi Deus permittat: sed vult huius permissionis dari causam ex parte nostra, scilicet voluntatē nostram, quæ obicem ponit ipsi Deo. Reddit rationē, nam licet in impulsione ad bonū incipiat Deus priusquam liberū arb. quod sanè verū est; iuxta illud Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. In deserendo tamen oppositū contingit. Prius enim desistit homo, quàm Deus illū deserat. Confirmatur, prius permittit Deus hominē cadere, ergo homo, supposita permissione, non potest non cadere, ergo necessariò peccat. Huic sententiæ videtur fauere Sanct. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. & 3. con. Gent. cap. 159. & 1. sent. dist. 40. q. 4. art. 2. vbi docet esse in nobis primam causam defectus gratiæ. Ideo enim deest nobis Deus, & gratiā subtrahit; quia nos prius resistimus nolentes illā accipere. Sed hoc apud me locum non habet; nam si prius homo resistat, quàm Deus illum caderē permittat; ergo prius peccat, & sic Deo non permittente. Vlterius, poterat Deus impedire, vel efficere gratia sua ne iste resisteret, vt legitur apud Aug. in Ench. loco cit. cur igitur non impedit? Huius certè voluntatis, qua hūc impedire non vult, cū posset (est enim omnipotens) nulla datur causa ex parte nostra. Quare idē Sot. 4. sent. dist. 50. quæst. vnica art. 6. vbi iam à

se

se multa dicta retractat, ad hunc locũ perueniẽs ait; opinionem hanc probabilem esse, oppositam nihilominus probabiliorem; scilicet reprobationẽ ex parte permissionis nullam penitus habere causam in nobis. Clarissimè patet hoc in primo parente; cur enim permisserit Deus Adã labi ab initio, nulla sanè fuit causa præter meram ipsius voluntatẽ. Sumatur tamen sano modo; ne existimetur voluisse Deus primũ parentem peccare; cũ peccatum propriè volente Deo non fiat; sed vtique eo permittente. Condidit enim Deus primum hominem liberum, quem permisit sua abuti libertate.

In huius articuli solutione omnia hæc per ordinem præstabo. Notanda præmittam. Conclusiones cum probationibus, obiectionibus, ac ipsarũ solutionibus apponam. Tandem dubitationes nonnullas, vulgaresque obiectiones iniungam, & soluam.

Primò igitur notandũ est, hìc sermonem non esse de causã reprobationis in vniuersali; huius enim superius fuit reddita ratio; sed de reprobatione in particulari, An Deus scilicet Iudã reprobauerit, ex quo præuiderit eũ peccaturũ, & in eo statu decessurum? Nec sermo est de causa ex parte reprobationis, cũ sic non habeat causam ex parte nostra; sed totũ in Dei voluntatẽ referatur secũ

dum omnes; immo in hoc couueniunt, vt alibi dictũ est, Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat. Adde, quòd temporaneũ, vt sunt demerita nostra, quæ fiunt in tẽpore; æterni, vt est reprobatio, quæ actiuè secundũ rem idem est cũ essentia Diuina: causa esse non potest. Iurgiũ autem est in causa ex parte reprobati; quomodo etiã dupliciter loqui possumus; vel enim de æterna, vel de temporali, vt est obduratio: vtramq; scriptura sacra videtur referre ad diuinã voluntatem; sed re vera non parua est distantia, vt infra monstrabitur. Secundò aduertendũ est, ex D. Thom. reprobationẽ non solum esse alicuius ordinationẽ in pœnã æternã; sed includere voluntatem permittendi aliquem cadere in culpã, & relinquendi illum in sua culpa vsque ad exitum vitæ; & tandẽ, supposita culpa, voluntatem inferendi pœnã pro tali culpa cõmissa. Et ex hoc manifestè colligitur, quatuor reperiri in progressu reprobationis. Primũ, est permissio, qua iste permittitur cadere. Secundũ, est casus ipsius in culpã. Tertiũ, est permissio, qua permittit Deus illũ in peccato mori. Quartũ, & vltimũ, est pœna, siue sensus, siue damni. Tertiò notandũ, & optimè; quòd non omnia ista quatuor sunt reprobationis effectus: licet enim verificetur de tribus, de culpa numquam verificabitur, quæ non à Deo, sed à sola libertate arbitrii est, & ideo

repro-

reprobationis effectus dici non potest.

Si igitur de primo effectu loquamur, hæc ponitur Concl. Reprobationis non datur causa ex parte nostra. Est D. Thom. secundũ aliquos, quibus ego assentior, quamuis alii contrarium sentiant. Præter ipsum, est Caiet. in suo com. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. Ioan. Driedonis, & ni fallor, ipsius Scoti 1. sent. dist. 41. quæst. vnica. Etsi enim secundũ Scotum datur causa reprobationis, vt vltimũ respicit effectum; insinuat nihilominus, voluntatem permittendi istũ cadere nullam in nobis habere causam. Possunt etiam adduci pro ea omnes rationes iam allatæ; & præter illas hæc sit prior. Propositiones de futuro contingenti supponunt determinationem Diuinæ voluntatis volentis, vel permittentis aliquod fore; ergo illa propositio, Antichristus peccabit, vera esse non potest, nisi Deus permittere vellet illum peccare; ergo illi peccato supponitur permissio; ergo non potest dari causa illius permissionis ex parte nostra. Vlterius, Angeli peccauerunt Deo permittente, cuius permissionis nulla valet in illis tradi causa, ergo. Si autẽ habeatur sermo de vltimo effectu, scilicet de alicuius ordinatione in æternã pœnam, hæc statuitur Concl. Reprobationis datur in nobis causa; vel originale peccatũ in pueris non baptizatis, vel actualia in adultis. Est Aug. locis citatis. D. Tho-

mæ

mæ Rom.9.in fine 2. lect. & de Verit. q. 6. art. 2. Scoti loco cit. Est tandem adeò certa; vt ab omnibus ferè substineatur, præcipuè cum ex Scriptura sit deprompta. Oseæ 13. Perditio tua Israel, scilicet ex te est, ob peccatũ tuũ: tantummodo in me auxilium tuum. In nouissimo die, vt legitur apud Matth. Christus dicet reprobis, Ite in ignem æternum, & reddens rationẽ; Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Quod si faciet in tempore, ergo ab æterno decreuit illos ob eadem peccata damnare; cum prope Deum nil temporaneũ propriè dici valeat, vt alibi constat. Legatur, Rom. 6. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Aug. in Epist. ad Sixt. iam citata duo dicit; Primũ, quòd Deus propter peccatũ damnat vniuersam massam perditorum. Secundum, quòd Deus non obdurat impertiendo malitiam, sed quia misericordiã non impertitur. Accedit hæc potissima ratio, Reprobatio, vt vltimũ respicit effectum, est opus iustitiæ. Dico vt vltimũ respicit effectũ; nam vt primum intuetur, solum negatio misericordiæ vocatur. Ergo nõ potest esse iusta, nisi culpa supposita.

Contra primã concl. est hoc. Deus quos reprobat, odit; neminẽ odit, nisi ratione peccati; ergo. Similiter, odisse est alicui malũ velle, sed Deus maximum malum nemini potest velle, nisi culpa supposita,

posita, ergo. Dicitur primò, reprobationẽ, vt voluntas est permittendi aliquem cadere; non esse odiũ, sed vt est voluntas puniendi aliquem, culpa supposita. Odisse namque nedum est permittere velle, vt aliquis cadat, sed illi quoque malũ velle. Si autem cũ Apost. dicatur Deum nullo habito operum respectu odisse Esau; respõdetur duplex esse odium, positiuũ, & negatiuum. Positiuum est velle alicui malũ, & semper supponit culpã. Negatiuum verò est non iuuare aliquẽ: idest permittere illum cadere. Et hoc non supponit culpam, cum non sit actus iustitiæ, sed negationis misericordiæ, quæ sub debito non cadit. Sed aduertendum est, quòd licet peccata de se sint causa sufficiens reprobationis; de facto tamen Deus neminem reprobat, nisi eius accedente voluntate permittendi, quos reprobat, in peccato emori. Primum clarum est, quia de condigno ob quodlibet mortale peccatũ homo meretur pœnas æternas: Secundũ ex eo patet, quia conspicitur Deus aliquando vocare maximos peccatores, & minus peccatores reprobare. Si quis dicat, quæ nã est causa adæquata? Resp. peccata præuisa vna cũ voluntate permittendi homines decedere in illis. Vnde, permissionis; qua Deus permittit hominẽ cadere, etsi non datur causa ex parte nostra: tamen permissionis, qua Deus relinquit hominẽ in culpa,

datur vtique causa, scilicet præcedens peccatum. Iustè enim Deus ob præcedentia peccata sæpe aliquem permittit alia accumulare, & in illis perire sine pœnitentia.

Contra secundā conclusionē multæ sunt auctoritates, & rationes. In primis est Paul. Rom. 9. Non ex operibus; sed ex vocante dictū est, quia maior seruiet minori. Sicut scriptū est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et eodem cap. quæstionem excitat, Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deū? Si ergo esset reprobatio propter demerita præuisa, numquā tam difficilis quæstio mota esset, vt Aug. ait Ench. 98. Clarius patet ex Pauli solutione, qui ad opera numquā confugit, sed ad meram Dei voluntatem. Quare dicit; Absit, nam Moysi dictū est. Miserebor cuius misertus sum, &c. Igitur non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat; non igitur mala opera intuetur in reprobatione. Aug. lib. 1. ad Simpl. q. 2. eandem dicit esse rationem prædestinationis, & reprobationis: sed homines nō distinguuntur propter merita præuisa; aliter, dicit ipse, si Esau propter demerita esset reprobatus, Iacob etiam propter bona opera dilectus esset à Deo. Vlterius, Ex paruulis ante vsum rationis decedentibus quidam, vt baptizati saluantur: alii verò, vt nō bapti-

rati damnantur. At qui reprobantur, non propter mala opera præuisa reprobantur; cum nulla futura essent: ergo neque adulti ob idem damnantur. Adest tandem experientia; cum misericors, & sapientissimus Deus ad se aliquãdo vocet maximos peccatores, & mediocriter iustos reprobet: quod vtique non esset, si propria demerita respiceret. Sola igitur Diuina voluntas in reprobatione attenditur. Validæ sunt rationes, validiora testimonia; si optime tamen inspiciant, id solũ maxime probant, non habere reprobationem aliquam causam ex parte primi effectus, quod & nos lubentissime admittimus. Et si quis magis vrgeat sistens in dictis Aug. hoc modo, Oppositorum eadẽ est disciplina, seu dispositio; vt est vulgariter receptũ, & deducitur ex pluribus locis Arist. & Auer. 1. cœl. t. com. 44. & 2. t. com. 18. 1. de gen. t. com. 65. & 12. metaph. cap. 9. Est etiam Accur. Legũ Imper. magni Glosatoris ad Rub. DD. de acqui. & amitt. poss. Immo omnes legum interpretes inde deducunt. At prædestinatio, & reprobatio sunt opposita, ergo vtriusque eadem erit dispositio; ergo si prædestinatio non est propter merita, ita nec reprobatio erit propter demerita; sed ex mera voluntate Dei. Ad hanc rationem primò dicitur nõ esse simile de prædestinatione, & reprobatione; cũ quilibet effectus prædestinationis sit à Deo, nõ

sic reprobationis. Et ideo dicitur secundū Iuristas, ad illā maximā, quòd valet, vbi in contrariis eadē est ratio. Glos. in clem. cum ad repulsionē. de appella. & omnes scribentes in d. rubr. de acqui. seu retinenda pos. Deinde, vt de farina nostra panē conficiamus, dicitur eam propositionē habere veritatem in verè oppositis, vti sunt contraria, quæ sub eodē genere posita, maximè distant secundum Arist. Sed sic non opponuntur prædestinatio, & reprobatio. Sed esto, quòd verè opponantur, & quòd eadē sit ratio; tūc dicitur quòd reprobatio est sumenda solū pro permissione, qua permittit Deus hominē cadere: quomodo sola volūtas Dei causa dici debet, vt probatū est. Patet iam, supposito peccato, iustè Deū aliquos reprobare; & si aliquos eligit misericordia eligit.

Præter expedita insurgūt aliæ difficultates, ex quarū explanationibus plurimum luminis accedet huic materiæ.

Primā sic propono; Quomodo reprobatus iustè dicitur puniri æterna pœna, si peccatū, propter quod punitur, supposita ipsius reprobatione, vitare non potest? Resp. quòd licet ab æterno multos Deus reprobauerit, tamē per reprobationē, neque ab æterno, neq; in tēpore abstulit ab eis liberū arbitriū. Nam, quantū ad hoc, reprobatio æqualis est cōditionis cū prædestinatione. Quare legitur Genes.

nes. cap. 4. Nonne si benè egeris, recipies? si autem malè, statim in foribus peccatū tuū aderit: sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Videndi sunt pro hoc Ricc. Armaca. lib. 5. de quæstionibus Armenorū, & Aug. cap. 14. de Van. Relig. Validū est argumentū, quòd æqualiter prædestinatis, & reprobatis proposita sunt præcepta sub pœna obseruanda, ergo omnes habent liberū arbitriū. Aliàs frustra fuisset imponere alicui, quod seruare non posset; sicuti impiū quoque, cū pro peccato punire, quod vitare non posset. Vnde infertur etiā; Deum nulli, etiā reprobato, denegare auxilium supernaturale sufficiens, quo volens à peccato resurgere possit, & omnia in posterū cauere: ac omnia adimplere præcepta; & inde vitā æternā consequi. Mōstratur exemplo; Deus enim cunctis imponit præceptū de credendo fidei supernali, & de diligendo Deum super omnia; quæ vana essent, si auxiliū ad illa non traderet, cū per se homo talia præstare non queat; impossibilia enim præciperet. Vnde Proph. Benedictionē dabit legislator; id est Christus non solū docet legem, sed pluit etiā benedictionē, & rorē gratiæ suæ. Propterea, quando dicunt doctores, Deum aliquē excæcare, non positiuè, sed priuatiuè, seu negatiuè; id est gratiam subtrahendo: non intelligunt ipsi, Deū omnē gratiā, & omne auxiliū subtrahere; sed solū

auxilium

auxiliũ ſuperabundãs: Hinc Scolaſtici dicũt præſcitum dupliciter conſiderari: vno modo abſolutè pro eo, quod poteſt; ideſt in ſenſu diuiſo: & ſic omnia valet peccata vitare, gratiã cõſequi, & vltimò ſaluari. Nam, cum nemini deſit auxiliũ ſufficiens ſupernaturale; nullus eſt, qui abſolutè non queat reſcipiſcere, & poſtremò ſaluari. Si tamen cõſideretur præſcitus in ſenſu cõpoſito; ideſt, vt præſcitus eſt: ſic, ſuppoſita reprobatione, ac infallibili Dei ordinatione, ſeu cognitione, cuncta peccata non vitabit. Nam infallibiliter damnabitur, ergo numquã vitabit omnia peccata. Alio modo poſſumus dicere, quòd ſecus eſt de reprobo, & ſecus de reprobato. Nã reprobus, licet aliquando cadat à gratia, ex quo dicitur reprobus, tamen finaliter nõ peccabit. At reprobatus, qui æternã reſpicit præſcientiã, finaliter nõ ſtabit, nec damnationẽ ſibi iuſtè debitam euadet: nõ ex eo, quòd nõ poſſit damnationẽ euadere; ſed propter ſua demerita præſcita; nõ ideo enim iniquè operatur, quia præſcitus eſt; ſed èconuerſo. Clarũ eſt igitur, quòd ſi homo finaliter non ſtet, & ſi non reſurgat, nõ eſt Deo tribuendũ, qui non deficit in neceſſariis: ſed ſibi ipſi, qui nõ vtitur Dei adminiculis: immo eſt cauſa ſuæ obdurationis. Primò enim cadit homo nemine cogente; ſed ſola libertate arbitrii ſui deuiãte à bono, quod poſſet amplecti, ſi vellet. Et quãuis Deo

per-

permittente cadat; non tamen Deus prius ordine durationis permittit liberũ arbitriũ cadere, quàm ipsum cadat. Potest deinde à peccato resurgere Deo suffragante, qui semper vocat ad conuersionẽ, & per cõsequẽs parat media proportionata ad ipsam conuersionẽ. Ideo dixit Aug. lib. 83. q. q. 68. Omnes sunt ad cœnã magnã vocati. Vnde, quòd veniant in ipsorũ est libertate; & si non veniũt, ipsorum est culpa. Si tandem obduratur, sibi etiã imputetur; quia malitia, quam exercet, causa est suæ obdurationis. Et cum dicit Paul. Rom. 9. Deus quem vult indurat; idest permittit aliquem indurari propter sua peccata. Et si in postremo vitæ Deus non præbet auxiliũ superabundans taliter indurato, nulla vtitur iniustitia. Nã si aliquis post baptismum mortaliter peccans meretur, vt gratia, quam semel acceptam deseruit, semper indigeat; quantò magis, si sæpe admonitus redire contempserit? Iustè igitur damnatur; si Deo suffragante bonum agere nõ vult, & nemine cogente, nisi sua malitia, & iniqua voluntate, in malo persistit. Et si opponatur, quòd Deus Pharaonẽ excitauit vt induraretur, vt habetur Paul. Rom. 9. & Exod. eod. per quã indurationẽ exerceret virtutẽ suã in illo, vtq; annuntiaretur nomen Dei in vniuersa terra: patet modò, quòd sicut quem vult eligit, ita quem vult indurat. Vt penitus tollatur hæc difficultas,

præmiſſo eo, quod ſæpe dictũ eſt, Deũ indurare non impertiẽdo malitiã, ſed non infundendo gratiã: quod iuſto iudicio fit. Dicitur poſtea, quòd duplex eſt litera; altera habet, excitaui te: altera verò, reſeruaui te, vt Gloſ. tangit. Erat autẽ Pharao in malitia ſopitus, & excitatus fuit per ſigna diuina: ille autẽ, cũ deberet fieri melior, propriã ſectatus voluntatẽ, factus eſt peior, & induratũ eſt cor eius; quod ex iuſto iudicio Dei factũ fuit. Nã, vt habetur Apoc. 22. qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: iuſto.n. iudicio fit, vt qui nõ vult à malitia diſcedere, ex hoc in aliud peccatũ trahatur, & durior, ac deterior fiat. Alia litera habet, reſeruaui te, Nã Pharao, qui ſua malitia erat morte dignus, ſeruatus fuit in vita per aliquod tẽpus, vt oſtẽderet Deus ſigna ſua in eo. Ex qua reſeruatione, et ſignorũ oſtenſione debebat fieri melior, & debebat pœnitentiam agere; ipſe, nõ pœnitẽdo, incidit in aliud peccatũ; & factus eſt peior, & durior: quia peccatũ, quod per pœnitentiam non diluitur, mox pondere ſuo in aliud trahit. Et ſic ſumus in primis, quòd ſi homo obduretur, & denique in peccato moriatur, ſibi ipſi imputandum eſt, & non aliis.

Secunda Dubitatio. Cur Deus ex duobus æqualibus in meritis, vel demeritis, potius hunc, quàm illum reprobat?

Reſpondetur, ſimile eſſe quærere hoc, & quærere,

re,cur in pariete ex ſimilibus lapidibus cõſtructo aliqui ſint ſuperius,alii verò inferius? Vnde ratio huius in vniuerſali erit,vt cõpleatur ædificiũ:non enim poſſet cõpleri paries,niſi lapides aliqui eſsẽt inferiores, & alii ſuperiores. Si aũt in particulari quæratur,cur illi potius ſint ſuperiores? per ſe loquendo,alia ratio reddi nõ poteſt, niſi volũtas artificis. In propoſito;ſi quæratur in vniuerſali,quare aliqui ſaluantur,& aliqui reprobantur? De hoc multoties fuit reddita ratio ſuperius. Si aũt quæſtio ſit in particulari, quare hi potius ſaluantur, quàm illi? Vel, quare præuidit Deus ſe illis gratiã daturũ, his verò minimè? Per ſe cauſam nõ aſſignabimus,niſi ſuã voluntatẽ: vt dicamus,ideo ſic eſſe, quia cuius vult miſeretur,& quẽ vult indurat. Cuius volũtatis rationẽ quærere nõ debemus. Vnde Anſel.cur Deus homo,lib. 1.cap.8.ait ſufficere nobis debere ad rationẽ volũtatis Dei,cũ aliquid facit,licet nõ videamus cur velit; quia ſic ipſe vult: voluntas namq; Dei numquàm eſt irrationabilis. Paul.ad hũc locũ deueniẽs Rom. 11.Exclamauit, vt ſupra patet,O altitudo diuitiarum, &c. Aug.exponẽs illud Ioan. Nemo poteſt venire ad me,& c. ait. Quare hunc trahat, illũ verò nõ, noli iudicare,& c.& ad Sixt.inquit,ſcrutetur qui poteſt tã magnũ profundũ iudiciorũ Dei; verũtamen caueat præcipitiũ. Idẽ,inde verbis Apoſt. ſerm.7. Quare

hũc liberet,& nõ illũ;nolo,vt à me quæras: homo sũ,profundũ nimis aduerto:nõ penetro,sed expauesco:nõ scrutor,inscrutabilia.n.sunt iudicia eius.

Tertia dub.Cũ Deus,per Aug.in Ench.cap.98. possit cõuertere ad bonũ malas hominũ voluntates,quas voluerit, qñ voluerit, & vbi voluerit: cur igitur nõ ĩmutat malorũ volũtates,vt oẽs saluẽtur?

Respõdetur,vt alibi,quòd absolutè loquẽdo, vti què posset omnẽ voluntatẽ in bonũ immutare,ita vt nullus deuiaret à fine:quia tamẽ ipsum decet sic res administrare, vt sinat eas proprios cursus agere;ideo, ex quo dedit liberum arb. homini, decet Deũ nos in bonũ dirigere,ac facit; vt liberè tñ nostros cursus agere nos sinat.Sed dicas iã tu,qui hoc quæris. Si Deus dedit tibi liberũ arb. ac illud dirigit ad bonũ:immo media quoq; parat; si tu igitur illa media nõ suscipis,immo vocantẽ sequi nõ vis, cũ possis; & ad hoc maximè requiritur consensus tuæ volũtatis,tu aũt renuis,& aufugis:cui est imputanda perditio tua? nõ Deo, cũ præstiterit sua misericordia omnia requisita ex parte sua. Remanet igitur, quòd tibi soli,qui hostes, & proditores potius,te vanitatibus,obscenisq; rebus allicientes sectari voluisti; quàm patrem, & creatorem tuũ,qui est vita,lux,& veritas.

Quarta dubitatio.Quomodo euitari potest,ne dicatur Deus acceptator personarum, aliquos eligendo,

gendo,& aliquos reprobando?
Alibi dictũ est, cõtingere nõ posse hac in re personarũ acceptationẽ: dicitur adhuc quòd personã accipere,est in persona quod minimè considerandum est,cõsiderare. Vt Ecclesiastica beneficia distribuere debẽs si cõsideret in personis,quibus distributio fieri debet; nõ morũ bonitatẽ,vel sciẽtiæ præstantiã:sed alia potius nõ attendenda in tali casu, vt carnis propinquitatẽ, vel personæ fauorẽ. Quo aũt hoc nomẽ initium habuerit, hinc patet, quòd in persona possunt esse cõditiones negotio, de quo agitur,pertinẽtes,Et impertinẽtes. Pertinẽtes sunt negotii cõditiones, impertinentes aũt nõ negotii,sed personæ: vt agitur in iudicio de cõferenda hæreditate: conditio pertinens est, vt sit filius defuncti: at impertinens,quòd sit amicus Iudicis. Iudex ergo debet cõsiderare cõditionẽ pertinentẽ,& nõ impertinentẽ. Vnde si cõfert hæreditatẽ,nõ filio defuncti, sed familiari suo, erit acceptator personæ, & nõ iustus. Ex his patet, quòd si proponantur aliqua, ex mera gratia largita; cũ ibi nulla sit cõditio impertinens; potest.n.aliquis ea distribuere,vt vult,& circa ea cõsiderare quicquid vult:nõ erit ibi acceptatio. Sic Deus ex mera liberalitate sua tribuit nobis bona: ideo potest ea vt vult,& quibus vult cõcedere, & nõ erit personarũ acceptator. Dicet quis, Esto, quòd in gratuitis cõ-

ferendis non sit iniquus, erit tñ iniquus infligens pœnã inæqualiter his, qui æqualiter se habent. Vera esset fortè ista obiectio, si nos nasceremur ex gẽte nõ infecta: at cũ nascamur omnes ex massa luctuosa, & ex apostatica radice: ideo, si nemo inde liberaretur, non posset, nisi falsò, iniustum propterea Deum appellare. Est Aug. Ench. 99.

Quinta dub. Dicet quis, ego sum præscitus, ergo infallibiliter dãnabor; cur ergo faciã bona opera?

Aliàs dictum est, reprobationẽ, vt dicit Diuinã præscientiã, nullo pacto necessitare: Tu autẽ, supposita præscientia, ex eo quia, cũ Deo sint omnia præsentia, etiã futura; præuidit te peccaturũ per libertatẽ tui arbitrii, & in peccato permansurum, ibiq; moriturũ, quia admonitus numquã redire voluisti: ideo, quia Deus cognoscit res, vt præcisè futuræ sunt, infallibiliter dãnaberis propter tua demerita, quæ licet causa directa, & principalis æternæ reprobationis, vt dicit ordinationẽ ad pœnam, quæ est vltimus effectus, dici nõ possint: sunt nihilominus causæ, sine qua nõ respectu propositi Diuini; cũ numquã sic aliquos reprobaret, nisi eos mala fore præsciret, ac in peccato morituros. Suppo nis deinde vt clarũ, quod maximè obscurũ est: & ideo semper bonis operibus innitendũ est, vt indies solidiores efficiamur in spe salutis æternæ. Licet. n. ab æterno præuiderit Deus me debere salua

ri;

ri, simul etiā præuidit, multa bona facturum, propter quæ saluabor; & si ipsa etiā inter prædestinationis effectus numerantur: similiter præuidit me hodie comesturū, simulq; mihi cibū indagaturū, & ad mēsam iturū. Nōne ridiculū esset, si dicerē, nolo cibū quærere, nolo discūbere, quia sine hoc infallibiliter comedā; quia præuidit me Deus comesturū? cū nemo igitur de sua reprobatione certus sit, studeat benè agere. Si dicas, sū certus de reprobatione. Rñdeo hoc fieri nō posse, nisi per reuelationē, & extra legē. Habemus n. in lege præceptū de spe, quòd adimpleri nō posset ab eo, qui haberet reuelationē de sua dānatione. Aliquibus tamē fuit reuelata, vt Iudæis, quibus dixit Christus, & in peccato vestro moriemini. Iudæ, de quo dixit, vę homini illi, per quē filius hominis tradetur, &c. Et Petro de facto reuelauit negationē suā, quæ erat peccatū mortale. De potētia igitur absoluta potest alicui Deus reuelare suā finalē dānationē, quæ etiā stat cum libertate arbitrii, sicut & reuelatio de prædestinatione; cum non sit maior ratio de vna, quàm de alia. Docet etiā Ansel. in de casu diaboli cap. 21. & 22. quòd dū aliquis est in via, etiā per reuelationē, certò scire non potest, an ipse sit dānandus; quia semper debet dubitare, & rationabiliter; an sit vera reuelatio, vel somniū: an reuelatio absolutè, vel sub cōditione expressa: an à Deo sit vel potius illu-

illusione Diaboli. Quibus etiã suppositis, conari debet, vt benè agat; quoniã si non proderit sibi ad gloriã cõsequendam; proderit vt leuius afficiatur in Inferno: cuius ignis nõ afficit, nisi iuxta mensurã præfixã à voluntate Dei, quæ etiã vult punire citra quàm dignũ, vt est Aug. ĩ lib. de cõcor. Euág. Quãtò igitur quis pauciora peccata fecerit, tantò minus ĩ inferno punietur. Est Greg. lib. 4. Dialog. & Chrys. super Matt. Omel. 33. Prosunt etiã bonorũ operũ exercitium, & conatus in bono vsu gratiæ, quã receperit aliquis; ad obtinendum donum perseuerãtiæ; de quo dubiũ nõ est, vt sentit præcipuè Ruardus Tapper ĩ explicationibus articulorũ fid. art. 5. & adfert parabolam Lucæ. 8. & Matt. 13.

Sextò dicet quis, Potest nè, absolutè loquẽdo, concedi, reprobationem habere causam ex parte nostra? Superius .n. semper habito respectu ad aliquẽ particularẽ effectũ, fuit determinata quæstio.

Breuiter dico, Si sumatur reprobatio pro volũtate tantũ puniẽdi aliquos pro culpis, & absolutè, pro eo, quod est reprobatio: cõceditur, habere causam demeritoriã in nobis. Nã ordinatio ad pœnã necessariò supponit culpã, vt dictũ est, aliter esset cõtra iustitiã. Ex eo patet, quia per seipsum homo demereri potest. Si verò sumatur reprobatio pro permissione, quæ reprobationi præintelligitur; tũc nõ datur in nobis aliqua causa. Si dicas, ergo permissio

missio non est reprobationis effectus. Resp. quòd est effectus largè, siue incohatiuè; prout est effectus voluntatis, quæ supponitur reprobationi: nõ tñ est effectus reprobationis, si consideretur id, quod per se est reprobatio. Et hanc doctrinã, nedũ verã existimo, sed etiã valdè opportunã ad mẽtem D. Thom. declarandã, & ad remouendã cõtradictionẽ, quã insolubilem inter Scotum, & ipsum nonnulli ponunt, præcipuè Paduanus de Crassis Barlettan. in Enchir. Scolast. Cõtradict. in 3. et ipse non soluit. Clarius tñ ipso sole apparet, Scotum sumere reprobationẽ absolutè pro eo, quod est reprobatio: dicit n. quòd Iudas cadit in tertio signo, & in quarto reprobatur.

Vltimò quæritur de ordine, qui in mẽte Diuina circa prædestinationẽ, & reprobationẽ seruatur.

Ad quod resp. vt de hoc loqui possumus, & secũdum nostrũ intelligẽdi modũ, quòd primò Deus ab æterno præuidit omnes homines, & Angelos secundũ esse naturale. Deinde quosdã elegit, illisq; secundũ intentionẽ, prius voluit finẽ, quàm media ad finẽ: quãuis secundũ exequutionẽ oppositũm potius. Alios aũt repulit, hoc ordine. Primò præuidit illorũ casum propter aliqua maiora bona, nõ negando illis auxiliũ sufficiẽs, quo possent conuerti; sed superabundans, quo de facto cõuerterentur. Deinde præuidit peccatum, & permissit

Deus,

Deus, vt notam faceret mundo iustitiam,& poten tiam suam,illos mori in peccato. Et vltimò,præuisa eorum finali impœnitentia, exclusit illos à gloria & ordinauit in pœnã æternã. Sed aduertendũ est,quòd licet in illo priori Deus non voluerit reprobis gloriam negatiuè: tamen ante peccatũ non habuit actum positiuum,quo illos excludere vellet de facto à gloria: licet de potẽtia absoluta posset nullo præsupposito peccato, vt cõtingere posset in homine sine gratia,&sine peccato decedẽte.

Et hæc omni cum humilitate,& tremore scripsi in laudem misericordiæ,& iustitiæ Dei,cui semper honos, & laus erit in corde,& in ore meo. Singula autem à me dicta Sanct.Rom.Eccl. censuræ corrigenda, & immutanda, si videbuntur, humiliter, submitto.

FINIS.

Errata ita corrigantur.



Pag. 15.	uer.14.	*habetur 2.sent. corrige 1.*
Pag. 31.	uer.16.	*hab.tutulum,cor. titulum.*
Pag. 43.	uer.13.	*hab.uouantem,cor.uocantem.*
Pag. 46.	uer.6	*post cap adde numerum 4.*
Pag. 47.	uer.23.	*hab.modicari,cor. moderari.*
Pag. 81.	uer.6.	*hab.Porph cor Propb.*
Pag. 96.	uer.10.	*hab.ex superius,cor.ex superioribus.*
Pag. 187.	uer.10.	*hab.inspiciant, cor. inspiciantur.*

